

بِسْمِ اللَّهِ الرَّحْمَنِ الرَّحِيمِ

DISSERTATIO

DE

כַּפֶּרֶת

SEU

OPERCULO
ARCÆ FOEDERIS
PROPIITIATORIO.

QVAM

Ad illustrandum Exod. XXV. v. 17. & 23.

SUB

PRÆSIDIO

JOANNIS CHRISTOPHORI
WICHMANNSHAUSEN.

LL. OO. PROF. PUBL. FACULT. PHILOS.
SENIORIS. ET H. T. DECANI,

NEC NON

BIBLIOTHECÆ ACAD. DIRECTORIS.

IN AUDITORIO MAJORI.

publice ventilandam proponit.

DIE IX. NOVEMBR. A. R. S. MDCCXX.

AUCTOR-RESPONDENS

M. JOANNES FRIDERICUS FRANCK.
BREDENFELDO-MEGALOPOLITANUS.

VITTEMBERGÆ

TYPIS SCHROEDERIANIS. ACAD. TYP.

oll. diss. A
34, 34

a. CXXXIV. 34.

Sächs.
Landes-
Bibl.



כנה

P R Æ F A T I O.



Propitium NUMEN propitiæ suæ voluntatis, qua tum Populum *Israeliticum*, in *Veteri*, tum, etiam, totum genus humanum, in *Novo, Testamento*, olim, complectebatur, & hodiernum, complectitur, tot, tamque luculenta, ubivis, in medium proposuit argumenta, ut nullum, facile, neque dictum, neque factum, Ejus, in sacris occurrat literis, quod non, hoc super negotio, abundantissime, nos informet. In hisce, quidem, digne scrutandis, atque rimandis, qui ingenii sui vires, rite, exercere haud gravabitur, omniaque ista, quæ huc spectare videbantur, exactius dignoscere, pro virili, annitetur, is, demum, ut nos quidem arbitramur, operam, atque studium suum, optime collocabit. Hoc, itaque, cum animo mecum probe perpenderem, in eam, citatis, statim, passibus, abivi sententiam, ut, posteaquam, super Themate quodam Philologico, meditationes, quales quales, in medium proponendæ essent, ad כנה, seu OPERCULUM PROPITIATO-

DE OPERCULO

TORIUM, quod ex nutu, atque arbitrio, NUMINIS sanctissimi, confici, & *Arca foederis* superimponi, debebat, hac quidem vice, in primis, me reciperem, &, pro virium ratione, atque modulo, paucula, super eodem isto, commentarer. In eo, autem, dum occupor, ut verba, de Themate isto, longe augustissimo, faciam, hoc mihi non assumo, quasi ego omnium, plane, primus sim, qui in eam viam ingrediatur, cum, ingenue, potius, fateri me oporteat, quod, olim atque olim, inter Eruditos, reperti fuerint non pauci, qui in illustre hoc, antiquitatis *Hebraeae*, momentum, si non ex professo, pro instituti, tamen, qualitate, atque indole, quadantenus, inquisiverunt. Cæterum cum non spicilegium, sed amplissima, superesse messis videatur, in quam falcem nostram intromittere queamus, operæ pretium esse, haud præter rem, forsitan, existimavi, ut pro Judicii, atque ingenii, tenuitate, in his Thesauris indagandis, atque illustrandis, tantisper, ita versarer, ut collectos, si non omnes, selectiores, tamen, quosdam in apricum producerem. Tot, enim, hoc in argumento, immensæ DEI benignitatis signa latent, atque indicia, quot literæ; tot mysteria, quot puncta; tot arcana, quot apices; Ita, ut, in brevi dictione, (quæ *Buxtorfii* strictura est) variam sententiarum vim, sensusque profundos, invenire liceat. Utut, itaque, summa negotii difficultate perterritus, animum, facile, despondere, &, a cœptis desistere, potuissem, fluctuantem, tamen, &, quasi, titubantem, firmiter erigere, imo, plane, tranquilum reddere, potuerunt ista *Psalmistæ* (Ps. XIX.) verba, quibus asseverat, quod פקודי יהוה ישׂרים משׂמח־לב מִצוֹתֵי יְהוָה בְּרָנָה מְאֹדָה עֵינַיִם, *Mandata Jehova neclta sint, letificantia animum, præceptum Jehova punum, illuminans oculos.* Quare, cum nullus, omnino, dubi-

dubi-

dubitarem, quin Deus & mihi meditati oculos illuminaturus, cordique meo, exactis, qualibus qualibus, meis hisce laboribus, gaudia paraturus sit, facile a me impetravi, ut in hunc laborem promptus ingrederer, &, quid vires valeant, quid ferre recusent, naviter exper irer. Hoc, autem, dum molior, tantum abest, ut SPENCERI, Doctoris *Angli*, qui sacra profanis, & summa imis, ubivis, prope modum, permiscet, sublestis hypothesebus, hic, quoque, locorum, subscribam, ut, potius, assidue, ob oculos, SOTÆ illud monitum, quod CAP. III. extat, mihi obversetur: **בנו הזהר במלאכתך שמלאכתך מלאכת שמים: שמא תחסור או תותיר אות במצאת מחריב העולם:** h. e. *Mi fili sis cautus in opere tuo, si opus tuum sit opus cœli: Quod si, enim forte, detrabas, aut superaddas, vel unicam literam, (Signum, punctulum) perinde habebis, ac si vastares totum mundum.* Priusquam, autem, ipsum rei caput invadam, *Benevolus Lector*, ante omnia, mihi exorandus est, ut huic meo qualicumque labori æquiores, haud gravatim, censuram impertiatur, eidemque, si fortean, hac in *Dissertatione*, errores, atque lapsus, quidam, præter omnem spem, atque expectationem, commissi sint, nosque, adeo, desiderio ejusdem, ubique, non satisfecerimus, optima, tamen, intentio, juxta vulgatum illud *Hebræorum*: **מזרו למצורה כעשה מצורה** *Intentio boni operis pro ipso opere habenda est*, plane non displiceat. Et hac, quidem, spe certissima, quam candor, ac benevolentia, ejus, certo, mihi promittunt, suffultus, ad rem ipsam, sine longiori verborum circuitu, ac ambage, me accingo, &, sigillatim, ordinis, utpote cujus ministerio, ut Sapientes monent, eo, sæpius, pervenitur, quo, alias, labore ire non datur, justæque methodi, quæ, ex eorundem istorum judicio, memoriæ mater, magnumque adjumen-

tam, est, bene memor, omnem meum sermonem, hac quidem vice, ita informabo ut (I.) De Origine, seu primo initio, (II.) De Officio. (III.) De Durationis Termino, טָּ כַּפֶּרֶת, sive OPERCULI PROPITIATORII, pauca, eademque scitu, adprime, necessaria, jam nunc, edisseram. Ut, vero, quod exordior opus, ex voto, atque feliciter, succedat, oranda, atque exoranda, imprimis, mihi erit immensa NUMINIS indulgentissimi bonitas, ut præceptum Ejusdem corda nostra recreet, mentisque oculos, discussis, quæ caliginem illis obducere poterant, tenebris, clarissima veritatis luce, clementissime, atque jugiter, illuminet. Supplex, itaque, his illud verbis imploro: לְמַדְנִי לְעִשׂוֹרָה רְצוֹנָךְ: כִּי אַתָּה אֱלֹהֵי רוּחַ טוֹבָה תִּנְחַנֵּי בְּאֶרֶץ מִישׁוֹר: *Exaudiat DEUS has preces, per eum, ὃν προσέθετο ἰλασῆριον διὰ τῆς πίστεως ἐν τῷ αἵματι, εἰς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ* JESUM CHRISTUM. Amen.

P A R S I.

DE ORIGINE טָּ כַּפֶּרֶת

S E U

O P E R C U L I
P R O P I T I A T O R I I.

§. I.

Plurimum, sane, interest, imo, gratum non minus, quam, etiam, ad accuratiorem, solidioremque, rei tractandæ, cognitionem, adprime, necessarium, atque utile, est, probe cognoscere, ex quonam fonte,

87

fonte, primaque, quasi, scaturigine, propullulet. Istiusmodi, enim, inquisitio magnæ, omnino, auctoritatis est, siquidem rem, plerumque, ab antiquissimis temporibus repetere, ponderis, etiam, non parum, vel hanc, quoque, ob causam, isti superaddere solet. Quare cum, hac quidem vice, de כפרת, seu OPERCULO, *Arca fœderis*, simulque, PROPITIATORIO, *Veteris Testamenti*, pauca quædam commentari susceperimus, extra oleas, (quod dicitur) plane, nos non vagabimur, ubi, ante omnia, in genuinam istius originem, tantisper, inquiremus. Est, autem, ista duplex, scilicet 1.) *Denominationis*, & 2.) *Fabricationis*.

§. 2. Ad originem denominationis quantum attinet, commodius adaperiri illam haud posse arbitramur, quam si ad genuinam כפרת Etymologiam, succincte licet, studiosius, tamen, attendamus. In hac, autem, manifestanda dum occupamur, sponte, ac de facili, deprehendemus, quod ad Radicem כפר, ad unum omnes, *Lexicographi*, atque *Philologi*, recurrant. In *kal*, quidem, simpliciter, *tegendî*, seu *obtegendî*, significationem obtinere, præter SCHINDLERUM, REUCHLINUM, FÖRSTERUM, COCCEJUM, EDMUNDUS CASTELLUS, & innumeri alii, certatim, asserunt; A quibus, tamen, GUSSETIUS, quadantenus, discedere videtur, quando כפר תò per *picare*, *pice obducere*, declarat. AVENARIUS, utrumque significatum combinans, Radicem vertit per *operuit obliniendo*, *bitumine operuit* &c. atque, adeo, Emphasin, in eadem ista voce, latentem, per sequentia ipsemet manifestat: כפר, *proprie, significat aliquid operire materia tenaci, videlicet, non veste, quæ removeri potest; sed aut bitumine, argilla, pice, aut alia re glutinosa, qua aliquid opertum, penitus, obliteratur, & absconditur.* Præter addu-

addu-

adductam, autem, in *kal*, significationem, in *Piel*, speciatim, significat, respectu hominis, *veniam impetravit*, respectu DEI, propitius, clemens, fuit, quam sententiam Vir, magni nominis, EDMUNDUS CASTELLUS confirmat, qui, hoc super negotio, imprimis, quoque, consuli merebitur. Alias, communiter, & a plerisque, huic Conjugationi *placandi*, vel *expiandi*, notio, ceu propria, atque domestica, vindicatur. Quantum, itaque, ad ipsum nomen כפרת, quod hinc descendit, attinet, similiter notandum est, quod, literaliter, istud, nihil aliud, quam *tectum*, *operculum*, *operimentum*, alicujus rei significet: Cum, enim, Janua, atque foribus, *Fœderis arca* destituta, & in summitate, eum in finem, ut *Fœderis tabula*, in ista, reponi possent, aperta, esset; superius, eadem illa, per *Operculum* hocce, cui nomen a כפר eatenus, quatenus, in *kal*, generalem *tegendi*, & *obtegendi*, significationem sustinet, obtigerat, contegebatur. R. SALOMON ad *Exod. C. XXV. v. 17.* vocat כסוי, *tegumentum*, eo, quod Arca, superne, pateret. Juxta ABEN-EZRAM l. c. similitudinem habebat cum מסכה, quod *opertorium* denotat. LIPPOMANNUS non dissentit, ita scribens: כפרת erat *tegumentum*, seu *operimentum*, aut *velamen* & *cælum*, quale *rebus pretiosis superimponere solemus*. *Erat, autem, tabula quæ superponebatur arca.* Alii, interim, non pauci, arbitrantur, quod כפרת non a כפר *Capbar*, ab *operiendo*; sed a כפר *Cipper*, *expiare*, nomen suum acceperit. Atque ita, sane, APOSTOLUS, quoque, illud nuncupat *ἱλαστήριον*, *Propitiatorium*, quoniam DEUS ipse, hic locorum, propitium sese demonstrabat, atque pacatum, & quidem, sanguinis istius, qui, coram illo, sparsus fuerat, intuitu. *Propitiatorium*, inquit BEDA, *tabula erat aurea, ejusdem mensuræ, cujus arca, sic dicta, quia ibi DEUS, Mosi appa-*
rens,

rens, & cum eo loquens, propitiabatur Populo. Omnino, itaque, hic observetur, necessum est, quod distinguendum sit inter *significatum proprium, & figuratum*: Hoc, enim, modo, omnis dissensus, commode, tolli, & in tuto res collocari, poterit; Posteaquam illi, qui per *Propitiatorium*, potius, quam *operculum*, τὸ כפרת transferunt, *figuratae* significationem, præ *propria*, eligunt: Contrarium, autem, facientibus, *propria*, magis, quam *Metaphorica*, significatione arridet. Utramque, interim, revera, ei inesse, & una posita, alteram non excludi, ipsi LXX. exemplo suo, clarissime, demonstrant; quando illi autentium, nonnunquam, per ἱλαστήριον ἐπίθημα, *Propitiatorium operculum*, exponunt. Sumtum, enim, nomen est, scribit TOPHET, ex illo, לכפר עליו, in quo significatio tegendi: Nam qui expiat peccata, etiam tegit. Auctores Edit. Gallic. ad Exod. l. c. scribunt: Vocatur כפרת a verbo, quod operire, ac tegere, denotat, quia inde significabat DEUS, peccata populi tecta esse.

§. 3. Hactenus, autem, dicta, veritati consona esse, ex aliarum, quoque, *Versionum* collatione, quas in medium producemus, adprime patefcet.

PARAPHRASIS CHALDAICA, pro more, in nominibus Emphaticis recepto, vocem autentiam retinens, in fine, solummodo, N addit, reddendo per כפרתא. SYRUS, vero, exprimit per ܩܘܪܒܢܐܘܬܐ, quod, etiam, significat *Propitiatorium*, ἱλαστήριον, & legitur, in hac significatione, Exod. XXV. Rom. III. Hebr. IX. ex Radice ܩܘܪܒܐܘܬܐ & ܩܘܪܒܐܘܬܐ, Expiavit, condonavit, veniam tribuit. Vid. EDMUNDI CASTELLI Lexic. Heptagl. Grac. Exprimitur, proprie, per ἐπίθημα, tegmen, operculum, quod derivatur ex ἐπι & τίθημι ποσο, quasi dicas: *Superimpositio*. Item, per

ἔκπωμα, uti JOSEPHUS, teste *Castalione*, תרעב interpretatus est, quod, itidem, significat *operculum*, etiam *potum*, ex *εκ* & *πῶμα*, tanquam a *πίνω*, *bibo*, uti placet SCHREVELIO, quoniam, exinde, Deus, sitientibus, quasi, gratiam ejus, præsto erat, illosque, responsum dando, reficiebat, ac potabat. Vocatur, etiam, *ἱλαστήριον*, PROPITIATORIUM, *typice*, respectu, scilicet, *Christi*, qui, vere, est *ἱλαστήριον*, dum, sua oblatione, nobis propitium fecit Deum. Et hoc, quidem, adducti sunt LXX. Interpretes, (quod jam jam monuimus, & infra, ulterius, inculcabitur,) ut utramque, quam nos, etiam, in rubro, expressimus, significationem, conjungentes, transtulerint, per *ἱλαστήριον ἐπίθημα*. ARABICA VERSIO habet *الغطاء* *Operculum*, *Membrana*; *tegumentum cordis, gladii, Epibippii* &c. a Rad. *عش* *exit*.

Textus HEBRÆO-SAMARITANUS tam *אֲרָבָה*, quam, etiam, *אֲרָבָה*, promiscue, legendum exhibet.

ANGLIS, vulgo, the Mercy-seat, i. e. *Misericordia*, sive *Gratia*, *sedes*, nuncupatur.

Belgice, commode, & non sine Emphasi, ac lepore, exprimitur, per *versoendeksel*: Quo vocabulo utruinque, tam *Propitiatorium*, quam, etiam, *Operculum*, indicatur.

Ab ITALIS, per *il Propitiatorio*, redditur, a GALLIS, autem, per *le Propitiatoire*.

Germanice, B. noster LUTHERUS, venerandæ memoriæ Pater, vertit per *Gnaden-Stuhl*; Quod, ceu minus accuratum, *Lundio* non, omnino, probatur, cui, potius, & accuratius, vocaretur: *Gnaden-Schemmel*: Sed nodum, ut arbitror, hic locorum, Vir, cæteroquin, doctissimus, & acutissimus, in scirpo quaerit; siquidem inter duas istas notiones, *Germanicas*, nulla essentialis intercedit diffe-

differentia, & *Megalandri*, insuper, nostri sententia, respectu, sigillatim, *Cberuborum*, quorum sella erat PROPITIATORIUM, quod ipsum tam *Cberubos*, quam, etiam, alis *Cberuborum* insidentem, Dominum, portabat, comprobanda est.

§. 4. Origini denominationis, & genuinæ significationi, vocabuli כפרת, subjungenda, etiam, erit, origo fabricationis, circa quam, pro instituti ratione, porro, similiter, occupabimur.

§. 5. Auctorem, itaque, ejusdem, &, quidem, principalem, si nosse, ante omnia, discupimus, ille DEUS, ter optimus, terque Maximus, est: Quandoquidem iste, *Exod. XXV. v. 17.* MOSEN alloquitur, eidemque injungit, ועשית כפרת, ut *Operculum* hocce *Propitiatorium* ille conficeret. Non, enim, hic אהב ישראל in eo acquiescebat, ut propitiam suam voluntatem, erga populum *Israeliticum*, intus, quasi, solummodo foveret; sed monumentum, quoque, ejus, & talismodi, inprimis, erigere, insuper, volebat, quod non ad exiguum tantum *Israelis* populum; sed & ad totum genus humanum, sese extenderet. Hocce, igitur, *Fæderis arca*, tegumentum, incertissimum, propitiæ suæ voluntatis, indicium, atque signum, gratiosæque suæ præsentia testimonium, sollicitè, fieri, atque fabricari, curavit. Hæc, autem, cum, in se, verissima, &, in Scriptura S. aperte, fundata sint, vix a me impetrare poteram, ut existimarem, quasi, hic, dissona quædam aliorum opinio deprehendi possit, nisi, re ipsa edoctus, intelligere, ac animadvertere, me oportuisset, quod *Pseudo-Critici*, non pauci, reperiantur, qui auctoritate Sacrarum literarum nequaquam impediti, novi quidquam, ex nimia præsumptione, & perverso ingenii pruritu, moliuntur, aliudque fundamentum, præter id, quod DEUS, in

verbo suo, jecit, jacere non verentur. Horum in numero, præter cæteros, merito suo, referendus est *Anglus*, alioquin doctissimus, JOANNES SPENCERUS, cujus assertum de *Arca*, & quod arctissime illi adhærebat, *Propitiatorio*, vel eam, potissimum, ob causam, vanum non minus, quas frivolum, est, quoniam MAIMONIDÆ, potius, quam Scripturæ S., auctoritate nixus, a *Lectoribus*, facile, se impetraturum esse persuasum sibi habebat, *ne*, (quæ verba ejus sunt) *mirum, aut monstri simile, alicui videatur, quod ipsam arcam, e gentium moribus, & Ethnicis, quasi, natalibus ortam fuisse*, frequenter asseruerit. Ego ut sententiam meam, hoc super asserto, jam tum ante, ingenue aperui, ita in illo, quoque, constanter persevero, nullusque dubito, quin plerique, imo omnes, quotquot immotam Scripturæ S. veritatem esse discipiunt, in eandem, citatis, quasi, passibus, nobiscum ituri sint. Rationes, interim, dubitandi, atque a nobis dissidendi, qui, plenius, cognoscere desiderat, ipsum Doctorem *Cantabrigiensem* adire haud gravabitur, ubi experiendo, nisi me omnia fallunt, ipsemet facile experietur, quod argumenta ejus, in contrarium adducta, omni robore destituta, atque, adeo, tanti momenti, plane, non sint, ut, in iisdem refellendis, multum & nos occupari oporteat. Sufficit nobis, quod ipse DEUS *Propitiatorii* Auctor sit, qui non Ethnicis moribus adductus, illud, una cum *Arca*, fabricandum curavit; sed ritu, potius, cultui suo, quem populo *Israelitico*, in cujus medio Ipsemet habitabat, præscripserat, conveniente, ut, nimirum, nomen Ejus, præ cunctis reliquis gentilium Diis, magnificentum, inprimis, atque splendidum, esset.

§. 6. Ministerialis, autem, MOSES erat, utpote qui, non ex proprio arbitrio, atque voluntate; sed juxta præscriptum

scriptum Domini, in monte, idem istud, per manus, vel ministerio, atque ope, *Bezaleelis*, artificis, peritissimi, & DEI spiritu instructi, faciendum instituit, ita, tamen, ut *Bezaleel*, quidem, architectus primarius, *Oboleab*, autem, adjunctus istius, *σύνεργος*, atque collega, extiterit. *Exod. XXVII. v. 1. 2. 7.* Quemadmodum, autem, alias, soli *Bezaleeli*, ut v. 1. *Arcae* totius fabricatio, quæ, apud *Hebræos*, eam quoque ob causam, *אֲרוֹן בְּצַלְאֵל*, *arca Bezaleelis*, vocatur, adscribitur, ita *Propitiatorii*, quoque, effectio, ad eundem, communiter, reducitur.

§. 7. Ad temporis momentum, si, solícite, attendere velimus, fateri, omnino, & ingenue, nos oportebit, quod expressam ejus Scriptura S. mentionem, nullibi injiciat, atque, adeo, scrupulosius indagantibus, certi, & indubitati, nil quicquam suggeri queat. *Exodus*, interim, filiorum *Israel*, ex *Ægypto*, juxta excellentissimorum *Chronologorum* computum, circa annum mundi conditi 2508. annis, nimirum, 400, post natum *Isaacum*, posteaquam *MOSES*, qui natus anno Mundi 2428. compleisset annos LXXX. & quidem, *בְּחֹדֶשׁ נִסָּן* *Mense Nisan*, qui *Martio* nostro respondet, contigit. Nomen, quidem, hujus Mensis, *Nisan*, antiquissimum *אֲבִיב*, *ABHIBH*, quod *Exod. XIII. v. 4. C. XXIII. v. 15.* extat, proprie *frumentum maturescens*, *aristam virentem*, in genere, omnia, quæ verno tempore, e terra, progerminant, *spiram cum calamo*, sive, *aristam*, significat: Dein, vero, sigillatim, mensem, quoniam, hoc sub tempore, frumentum, in aristas exurgens, maturescebat. In sequentibus, demum, temporibus, dictus fuit *NISAN*. scil. *Neb. II. v. 1. Estb. III. v. 7.* quæ notio *Chaldaica*, istiusmodi mensem indigitabat, quo, ad prælia capeffenda, *Veteres* se accingere solebant: Nam *Nisan*, *BOCHARTO* judice, *Hierox. P. I. Libr. II. C. I. p. 557. bellicum signum, vexillum,*

vexillum, denotat. Conf. 2. *Sam.* II. v. I. Hoc observato, ex *Exod.* C. XIX. v. I. ulterius, ut adnotemus, necessum est, quod DEUS, cum *Mose*, locutus fuerit, eique hæcce mandata dederit, mense III. post egressum, sive, כַּחֲרֵשׁ סִיוֵן, *Mense Sivan*: Juxta mensium, scilicet, designationem, apud *Chaldaeos*, & post captivitatem *Babylonicam*, apud *Judeos*, quoque, receptam; siquidem sub primis, atque antiquissimis, temporibus, menses a numero, atque ordine, tantum, *primus*, *secundus*, *tertius* &c. appellati fuerunt. Mensem, autem, hunc tertium, sive, *Sivan*, cum *Majo* nostro coincidisse, *Philologi*, haud frustra, hariolantur. Sufficere, itaque, poterat, quod *Propitiatorii* fabricatio, tertio, statim, mense, post egressum, a DEO, *Mose* injuncta sit, siquidem de reliquis temporis adjunctis, atque circumstantiis, *Codex Sacer*, curiosius, nos non informat.

§. 8. Locus, quo sanctam suam voluntatem, conficiendi כַּפָּרָה, indulgentissimum Numen promulgavit, tum sub generaliori, tum, etiam, sub specialiori, notione, nobis delineatur. Generalis notio, מִדְבָּר, *desertum*, est, quale, in *Scripturis S.* lato significato, & quidem, *Jer.* II. v. 2. & 6. ita describitur; quod sit *Terra, non sata*, (לֹא זָרְעָה) *Terra campestris*, & *sepulchralis*, *Terra sicca*, & *umbra letalis*, per quam non transit quidquam, & ubi nullus habitat homo. Et hoc, quidem, modo, *desertum* opponitur *maribus*, & *habitationi*, (יִשׁוּב): In quas tres partes mundus hic, inferior, dividitur. Significat, etiam, locum incultiore, ubi licet sint pecudum pascua, rarus, tamen, est hominum conspectus, nempe ἀνοικητόν, *inhabitabilem*. Quidam, interim, hanc vocem deducunt, a significatione *Chaldaica*, *Radicis* דָּבָר *dbbar*, quæ *ducere* significat, quod, nimirum, eò pastum agerentur pecudes. At, enim, vero, hac ratione, per totam *Judeam*, ut recte observat CLERICUS, ad *Exod.*

Exod. III. v. 1. & in fertilissimis, potissimum, locis, fuisset **מרב** *desertum*, cum, tamen, tractus, duntaxat, ejusdem meridionalis, eo nomine, in Scriptura S. ut *Matth. III. v. 1. Luc. I. 39.* venire soleat. Præferri, itaque, hic merebatur conjectura LUD. de DIEU, quam habet in *Animadv.* in *Exod. XIV. 3.* quando, ibidem, adnotat, quod **מרב** deducendum sit, ab *Æthiopico* **רבר**, *Mons*, siquidem non tantum meridionalis *Judææ* tractus; sed, sigillatim, *Arabie*, quoque, desertum, de quo nobis hic sermo est, montibus maxime refertum fuit. Proprie, itaque, istiusmodi, demum, loca, quæ humano cultu destituebantur, & qualia montana esse solebant, deserta, olim atque olim, nuncupabantur. Et, sane, in nostro hoc *Arabie* deserto, præter *Chorebum*, montem, **ההר סני**, *SINAI*, quoque, *mons*, ubi Lex, etiam, ista, circa quam nunc occupamur, lata fuit, conspicuus erat. Dictus, autem, fuit, *SINAI*, *Mons*, a **סנה**, quod *rubum* significat, (ad normam **כילי**, *tenax*, *avarus*, quæ notio a **כרה**, *occlusit*, *inclusit*, quale quid in avaros, adprime, quadrat, deducitur) quasi *ruborum* (*Rubeti Arabici*) *mons*, vel lapidum, qui fracti, ut *MATTH. HILLERUS*, in *Onomast. Sacro*, docet, undique, ruborum faciem, & arbusculorum, ostentant. Eandem, quoque, hanc rationem addunt *Commentatores*, in librum **מורה נבוכים**, *MORE NEBHOCHIM*, *Part. I. C. 66.* **כי האבנים הנמצאים בו יצרו עליו הסנה**: *quod lapides in eo, figuratum in se habuerint rubum.* Et *EPHODEUS*, *Commentatorum istorum alter*, scribit, se vidisse, quod, in fragmentis lapidum istorum, figuræ rubi apparuerint. Et *Desertum*, quidem, hoc *SINAI*, seu *rubi Domini*, in quo, primum, Dominus *MOSI* adparuit, quodve, a *Græcis*, **Σιν** appellatur, a *Deserto* **סין**, quod, similiter, a ruborum copia dictum esse videtur, quodve *Elimam* inter, atque *Sinai*

nai

nai, ut ex *Exod.* XVI. 2. patet, extensum erat, probe discriminandum est. Mons, autem, hic, in Scripturis, (Conf. *Exod.* XXX. I. 2. 3. & XXXIV. 4. item, *Deut.* XXXIII. 2.) celeberrimus, cum CHOREBO, eam ob causam, a nonnullis, confundi solet, quoniam duo Juga, unius, ejusdemque, montis, fuerunt, quorum Jugorum unum, quod SINAI dicebatur, ad *Occidentem*, alterum, autem, quod, CHOREB erat, ad *orientem*, sese extendebat. Vid. PETRUS BELONIUS, in *Observ. Libr.* II. c. 62. & 63. HIERONYMUS, de *Locis Ebraicis*, scribit: *Choreb mons DEI in regione Midian, juxta montem Sina, supra Arabiam, in deserto, cui jungitur mons, & desertum, Saracenorum, quod vocatur Pharan: Mibi, autem, videtur, quod, duplici nomine, (qui Patris error est) idem mons, nunc Sina, nunc Choreb vocetur. Conf. Exod. XIX. 20. XXXIII. 6. Duo sunt, (ut, erudite, monet P. VALLENSIS P. I. Ep. XI. de Cairo scripta,) montes, uno in loco, hoc est, Horeb & Sinai, qui, ambo, nascuntur, ut ita dicam, ex radice una, & dividuntur, postea, jugis, quo altius ascenditur.*

§. 9. Materiam si spectamus, purissima ea est, ac splendidissima, non ex lignis cedrorum, qualis *Arce fœderis* materia erat; sed *מִן זָהָב טָהוֹר*. Ex auro purissimo, ac mundissimo, carente alieno, forde, tabe, omnique re turpi. Fuit ea, juxta translationem LXX. *Interpretum*, ex *χρυσίς καθάρῃς*, Auro puro; Ut SYRUS habet, *ܐܘܪܘܢܐ ܕܥܘܠܡܐ*, ex auro mundo, purgato, purificato. *ܐܘܪܘܢܐ ܕܥܘܠܡܐ*, ex ARABIS mente. Cum quibus omnibus, exacte, etiam, sentit *Pentateuchus Hebræo-Samaritanus*, qui, item, asserit, quod materia, operculi propitiatorii, fuerit *אֹרֶז טָהוֹר* Aurum purum, mundumque. GALLUS, autem, per *Tout de pour Or*, hic se exprimit.

exprimit. Paria inculcat ABARBANEL, scribens : **וְלֹא**
הָיָה כִּפְרֵת עֲצֵי סִטִּים כְּמוֹ הָאָרוֹן אֲכָל הָיָה כְּלוֹ זָהָב
 : *Neque fuit ex lignis cedrorum, sicut arca; sed fuit*
omne ejus aurum purum. Testari hæc res debebat de pu-
 ritate, ac splendore maximo, **קְדוֹשׁ יִשְׂרָאֵל**, S A N C T I
 ISRAELIS, qui, uti ipsemet sanctissimus erat, ita vitæ san-
 ctitatem, ac puritatem, similiter, ab omnibus istis, qui ad
Propitiatorium ejus appropinquabant, requisivit, quo non
 conflati vituli aurum; sed solido huic auro insidentem, u-
 nico, & sincero, cultu adorarent. Alludunt huc Docto-
 res *Ebraei*, quando in T A L M U D., *Schekatim*, precantur:
יָבוֹא זָהָב שֶׁל הַכִּפּוּרֹת וַיִּכְפֹּר עַל זָהָב שֶׁל עֲגֹל
Veniat aurum propitiatorii, & expiet pro auro conflati vituli.
 Accedit, quod cum *Tabula fæderis*, DEI ipsius digito scri-
 ptæ, quibus pretiosius nihil fingi poterat, in ista arca, de
 cujus *Operculo*, jam nunc, commentamur, fuerint repo-
 sitæ, tegumentum, quoque, istius, *Tabularum* dictarum cu-
 stodiæ consecratum, ex metallo purissimo, ex merito suo,
 constare debuerit.

§. 10. De quantitate, ac mensura, **כִּפְרֵת**, seu *Propi-*
tatorii, observamus, quod, qua hoc momentum, cum
Arca fæderis, plane, istud coinciderit. Paret hoc ad ocu-
 lum ex v. 17. cujus tenor est : **אֲמַתִּים וַחֲצֵי אַרְכָּה וְאֵמָה**
וַחֲצֵי רַחְבָּה. Quæ, sane, verba, cum v. 10. ubi de *Arca*
 idem legitur, exacte concordant. Ad duo, autem, capita,
 res omnis, hic locorum, potissimum, redigenda est, ut, ni-
 mirum, primum super eo, quid **אֲמָרָה**, sive *cubitus*, sit,
 tantisper, dispiciamus; deinde, vero, quotuplex iste cu-
 bitus, olim atque olim, &, sigillatim, quidem, apud *E-*
braeos, fuerit, brevibus enarremus. Ad **אֵמָה**, autem, sive
cubitum ipsum, quantum attinet, notari, omnino, mere-
 bitur, quod vox ista, tum *partem brachii*, tum, quoque,
 C mensu-

mensuram ipsam, ut hoc in negotio, indicet; Licet, cateroquin, vocabuli hujus originem, ut Magnif. Dominus *Præses*, absque venerationis Titulo, nunquam mihi nominandus, in *Dissert. de COLVMNIS ÆNEIS*, Anno superiori edita, p. 74 & 75, fusius, demonstrat, eruditi, diversimode, evolvant. A *Græcis* cubitus vocatur πῆχυς. Et hos, quidem si consulere velimus, quid πῆχυς sit, SUIDA teste, πῆχυς, sive cubitus, erit: τὸ ἀπὸ τῆ ἀγκῶνος, μέχρι τῶν δακτύλων τῆς χειρὸς ἑκταμα, *Extensio, a flexu brachii, usque ad digitos manus.* Quoniam, autem, ex plerorumque *Criticorum* sententia, multiplex iste est, omnino, & ante omnia, hic supponendum erat, quod de cubitu communi, quem alii scriptores plures suum faciunt, verba ista accipienda sint. Suffragatur *Suida* POLLUX, dum adnotat, quod ἀπὸ τῆ ὠλεκράνης, πρὸς τὸ τῆ μέσης δακτύλου ἄκρον τὸ διάστημα, πῆχυς, *Cubitus intercapedo sit, quæ inter mediæ brachii flexum, & digiti mediæ summitatem, intercedit.* Quomodo, autem, cubitus, præcise, discrimnandus, & ad quotnam, ac quales, speciatim, classes iste reducendus sit, ea res *Criticorum* ingenia, olim atque olim, non parum exercuit. Plurimi, autem, hic, ita procedunt, ut existiment, quod cubitus sit (I.) *Communis*, cujus, paulo ante, definitionem suppeditavimus, & qui duos habet pedes. II. *Minor*, qui sesquipes, vulgo, nuncupatur: Hic, enim, sex palmorum, sive viginti quatuor digitorum, est. (III.) πῆχυς ὁ βασιλικός, qualem HERODOTUS sistit, i. e. *cubitus Regius*, qui, tribus digitis, justo cubito major erat (IV.) *Cubitus Major*, qui novem habebat pedes, & (V.) denique, *cubitus Geometricus*; quem ORIGENES, in *Sermon. super Genesin, & B. Augustin. Lib. I. Quæst. super eundem librum*, delineat. Ab *Hebræorum* Doctoribus, הַכַּף, plerumque, per שֵׁשׁ אַלְמָנוֹת, *sex palmos*, circumscribitur. הַכַּף *Palmus*, autem, juxta

juxta *Talmudicos*, quatuor continet digitos. Et hæc, quidem, de *cubitis* structuræ *Templi*, rerumque Sacrarum, accipienda, atque intelligenda, esse, existimant. Ex eorundem, enim, *circumcisorum Magistrorum*, scriptis, alias, quoque, adprime constat, quod in gente, etiam, *Ebraica*, triplicis generis cubitus, olim, floruerit. Cubitus, nimirum, (1) *quinque palmorum*, quem *קטנה אמה*, *cubitus parvum*, appellarunt, qualis, in *Altari aureo*, *cornibus*, *ambitu*, & *fundamento*, seu *fundo*, mensurandis, adhibebatur. (2.) *Sex palmorum*, qualis ad structuræ *Templi*, & reliquarum rerum sacrarum, mensuras dijudicandas, in subsidium evocabatur. Et hic, quidem, hujus, proprie, loci est, utpote, quo MOSES, ad *Tabernaculum* dimetiendum, utebatur, unde & *אמה של משה*, *Cubitus Mosis*, alias, vero, etiam, *אמה בינוניה*, *Cubitus Mediocris*, audiebat. Coincidit hic *Ebraorum*, cubitus, cum, *Græcorum*, cubito minori, qui *sesquipes* nominabatur. Vocabulum, enim, *πῆχυς*, quod apud LXX. legitur, a GAZA vertitur *sex palmorum mensura*. Tertius, denique, *Ebraorum* cubitus, *Cubitus erat Sanctuarii*, mediocri cubito, aliquanto, major, & qui *τοῖς βασιλείοις*, seu *Regis*, exacte, propemodum, respondebat. Conf. BUXTORF. *Exercit. ad Histor. Arcæ fœderis* p. 85. Ad meam, autem, quantum attinet sententiam, omnino, & ego, cum Magnif. Domino *Præside*, existimarem, quod missa cubiti, in communem, imprimis, atque sacrum, distinctione, in cujus fundamenta, in *Dissert.* supra excitata, à p. 74. ad 83. inclusive, fusius ille, atque solide, inquirat, per cubitum, ut alibi, ita hic, quoque, locorum, intelligendus veniat, CUBITUS *sex palmorum*, seu, pedis unius, atque dimidii, vel, quod eodem recidit, *viginti quatuor digitorum*; supposito, scil. quod PALMUS unus *quatuor digitos*, PES, autem, *quatuor palmos*, continuerit.

Cum, itaque, *Propitiatorium*, in longitudine, cubitos duos, cum semisse; in latitudine, vero, unum, solummodo, cum semisse, exhibuerit; unus, autem, cubitus *sex palmorum* fuerit, per se, patescit, quod longitudo PROPITIATORII, ad quindecim palmos, sive sexaginta digitos, latitudo, vero, ad novem palmos, sive triginta, atque sex digitos, assurrexerit. Eadem, quoque *Arca*, qua longitudinem suam, mensura fuit, supposito, nimirum, quod, omnino, supponendum erat, quod memoratas mensuras, ab exteriori *Arca* forma, asserum, scilicet, atque auri, quo obducta illa erat, crassitie inclusa, repetere nos oporteat. Hoc nostrum assertum confirmat R. LEVI BEN *Gersom*, insignis *Judeorum* Philosophus, & Theologus, qui, præter celebrem, in *Legem*, commentarium, librum, etiam, cui titulus est, (מלחמות יי) conscripsit) sequenti, in primis, ratiocinio: שאם נמדוד הרוחב והאורך מבפנים היה הכפורת נופל בתוך הארון כי היה ארכו כארך הארון ורחבו כרחבו i. e. *Nam si acciperetur de longitudine, & latitudine, quæ intus fuit, Propitiatorium, incidisset in medium arca, quoniam fuit longitudo ejus, sicut longitudo arca, & latitudo hujus, sicut latitudo illius.* PROPITIATORIUM, itaque, ad *Arca* ipsius longitudinem, atque latitudinem, exacte, diductum, formatumque est.

§. 11. Super crassitie, כפורת א, utut *S. Scriptura*, plane nos non informet, fuit, tamen, ista, juxta doctorum *Hebræorum*, computum, cui, interea, tuto, subscribi vix poterit, unius טפח vel *palmi*. Vid. EDM. CASTELLI *Lexic. Hept.* p. 1788. & SCHINDLERI, *Lexic. Pentagl.* sub Radice כפר.

§. 12. His, de *Objecto principali*, כפר א, ita, pro instituti ratione, præmissis, pes, ulterius, & ad objectum, quidem, accessorium, promovendus erit, de quo relatum legimus

gimus

ועשית שנים כרכים זהב מקשה תעשה v. 18. & v. 19. seqq. Patet ex his, quod pro *accessorio objecto* nihil aliud, quam CHERUBI, habendi sint, de quibus, licet plura, ex professo, edisserere, ab instituto nostro alienum, sit, paucis, tamen, pro negotii, circa quod occupamur, indole, eosdem quodammodo, adumbrare, allaborabimus.

§. 13. Hoc dum molimur, partium nostrarum, inprimis, esse persentiscimus, ut non, in vocabuli *Cherub* originem, solummodo; sed qualem qualem, etiam, istius definitionem, quadantenus, inquiramus. Ipsum nomen כְּרֻבִים, *Grace*, χερουβιμ; *Chaldaice*, כְּרוּבִין; *Syriace*, כְּרֻבִין, *Arabice*, كَرُوبَيْن; *Samaritano* caractere, כְּרֻבִין; ubique, *Plurale* est, a sing. כְּרוּב, χερουβ, כְּרוּבָא, כְּרֻבִין, כְּרֻבִין, כְּרֻבִין, כְּרֻבִין; Circa cujus radicem, atque allusiones, evolvendas, omni tempore, adeo se torserunt eruditi, ut CL. LIEBENTANTZ *Diss. de CHERUBIM PROPITIATORII*, decem istorum sententias recensere; jam tum, & sub examen revocare, instituerit. Nos cum eodem isto, simplicissimam esse illam arbitramur, quæ radicem כְּר, & huic, inprimis, affinem כְּר, *vectus, supervectus, est, equitavit, insedit equo*, in subsidium hic evocat, posteaquam, inprimis, LUD. de DIEU, *Crit. S. p. 5.* quatuor rationes, sic satis prægnantes, allegat, quibus *Etymologicam* hancce rationem, in tuto collocare annisus est. Antiquissima, interim, ac tritissima, notionis hujus interpretatio eò abibat, ut *Ebraei*, ad unum propemodum, omnes, conjectarunt, quasi, כְּ, non pro *litera Radicali*; sed pro *servili*, & quatenus similitudinis nota est, habenda, sit, reliqua, autem, elementa ex *Chaldaico*

daico idiomate, ubi רַבִּי & רַבִּי & רַבִּיָּא *Puerum crescentem*,
 five, *adolefcentem*, ad decimum tertium usque annum, de-
 notat, arcessita fuerint. Ex horum, itaque, Doctorum,
 ad quos MÜNSTERUS, etiam, in *Lexico*, sigillatim, pro-
 vocat, mente, *Cherubi* formam, & figuram, puerorum, ut
 ad definitionem, etiam, istorum, tantisper, attendamus,
 habuerunt. Meditationi huic MENOCHIUS, quoque,
 suffragatur, quando, de duobus *Propitiatorii* CHERUBIS
 pronunciat, quod *Angeli* isti fuerint, specie humana, quasi
 duo Juvenes alati, ut pingi consueverint. Addit Vir CL.
 quod verisimile, quoque, sit, habuisse istos speciem quatuor
 animalium, *hominis*, nimirum, *aquile*, *leonis*, & *vituli*,
 ac, partim, alis, partim, etiam, corpore suo, totum *Propitia-*
torium contexisse. Idem sentit Celeb. BUXTORFIUS, in
Lexic. Hebr. & Chald. ad vocabulum כְּרוּב scribens, quod
Cherubb. puerum alatum, seu imaginem humanam, sed
 alatam. *Operculo Propitiatorio*, Arcæ fœderis, impositam,
 significet. Firmare hanc conjecturam ista, etiam, qua-
 dantenus, videntur, quæ de *Cherubis*, in templo *Salomo-*
neo conspicuis, Auctor Sacer. 2. *Paral.* III. v. 10. seqq. in-
 culcat, utpote, qui & ipsi faciebus, atque pedibus, instru-
 cti fuerunt. In eo, interim, insignis, hos inter, atque no-
 stros, *Propitiatorii*, CHERUBOS, intercedebat differentia,
 quod isti, in terra, stantes, non, qua staturam, solummodo,
 decem cubitorum fuerint; sed ex oleæ, etiam, tantum, ligno,
 cum, ex auro, nostris conflati essent, confecti fuerint. Conf.
 EZECH. *Cap.* I. seqq. item *Cap.* IX. & X. Qua rem ipsam,
 sane, consuli, imprimis, merebitur ABARBENEL, qui ad
Paral. I. c. seqq. adnotat: לָדַעַת שֶׁהָיוּ הַכְּרוּבִים כְּפָרָרִים
 יְלָדִים קְטָנִים אִם כְּנָפִים *Sciendum, quod fuerint Cherubi*
pueri parvi, cum alis. Similiter, in מְכַלְל יוֹפֵי, quoque,
 diserte, adstruitur, quod habuerint צוֹרֵת אָרֶם *formam homi-*
nis,

nis, & speciatim, quidem, כִּי כְרֻבוֹת נְעָרִים הֵיוּ, quod ad similitudinem puerorum efformati fuerint. Clarissimus, quoque, LIGHTFOOTUS hic assensum suum præbet, verbis sequentibus: *Equaque extremitate factus erat Cherubb, seu representatio Angeli, forma pueri, corpore inclinati, alis arcam tegentibus.* Ipse, in super, Dn. JURIAEUS, in *Histoire Critique des dogmes, & des Cultes, bons & mauvais, de L' Eglise. a Celles des Juifs* pollicem, quadantenus, premere istis videtur, referens, quod: *La tradition Commune des Juifs, embrassée, presque, par tous les Chrétiens, c'est, qu'ils avoient la Figure d'un Jeune, enfant.* ABEN-EZRA, utut, interpretamentum hocce, suum, quoque, quodammodo, faciat, ita, tamen, insimul, istud attemperat, ut existimet, quod, כְּרוּב, genus, & universale nomen, sit, nisi quod isti, qui in *Lege* sint, humanam, qui, autem, in *Ezechiele*, animalium istorum, quatuor, quæ ibi descripta sunt, figuram habuerint. Plura, vel eam ob causam, his adjicere super sedemus, quoniam Magnif. Dominus PRÆSES, in *Dissert. de VELIS TABERNACULI, atque TEMPLI, An. 1718.* publicata, p. 19. seqq. in Thema hoc, curatius, jam tum, inquisiverit, atque, cum BOCHARTO, judicaverit, quod, CHERUBI hi, non tam *Angelorum* figuræ, quam certa, potius, emblemata quædam, per quæ Angeli natura, quadantenus, expressa fuerit, extiterint; Ita, tamen, ut cum istis, cæteroquin, etiam, insimul, sentiat, qui, CHERUBOS hos, formam istam *Angelorum*, quæ MOSI, in idea, *Arca*, & aliarum rerum, instar, ad cœlestes hocce ministros, in *Tabernaculo*, quoque, adumbrandos, exhibita fuerit, manifestasse conjectant

§. 14. Quantum ad numerum, כְּרוּבוֹת עֶשְׂרִים, sive *Cheruborum*, attinet, scrupulum cuidam movere poterat v. 18. separatim, & in se, spectatus, cujus summa sequens est:
ועשר

ועשירי שנים כרבים זהב מקשרה תעשה אותם משני קצות הכפרות: *Et facies duos Cherubos, aureos, continente opere, facies eos, e duabus extremitatibus operculi ipsius propitiatorii.* Cum, enim, duo CHERUBI, & opere, quidem, continenti, ita efficiendi essent, ut, e duabus, Operculi, extremitatibus, iidem isti assurgerent, verum cuidam simile videri poterat, quod, in unaquaque, Propitiatorii, extremitate, CHERUBI duo, atque, ita, in univrsum, quatuor, in isto, comparuerint. Huic, itaque, scrupulo, tempestive, quasi, obviam it ipsemet *Auctor Sacer*, quando, de MOSE, diserte, is asseverat, ועשה, quod fecerit CHERUBUM unum, ab extremitate una, & CHERUBUM alterum, ab extremitate altera, ex quibus, manifesto, constat, quod Propitiatorii CHERUBORUM duo, in univrsum, solummodo, extiterint. Repudianda, hinc, merito, A BARBANELIS illa glossa est, qua adstruere conatur, quasi verba posteriora ταυταλογίαν quandam sapiant, cum versiculus, immediate, antecedens, jam tum, inculcaverit, quod משני קצות הכפרות, in duabus extremitatibus Propitiatorii, dicti CHERUBIM, fuerint conspicui. Quilibet, enim, nobis non monentibus, haud gravatim, intelligit, quod *commatis 19. verba*, proxime, antecedentibus lucem affundant clarissimam, atque impediunt, quo minus in istum prolabamur errorem, quasi, ex utraque Propitiatorii extremitate, ut supra, etiam memoravimus, duo CHERUBI processerint. Ne, enim, dicas, vel existimes, ut recte adnotat R. SALOMON, duos *Cherubos*, in unaquaque extremitate, faciendos esse; Ideo explicandum fuit, quod CHERUBUS unus, in extremitate una, alter, in altera, collocandus esset. Atque, sic, posteriora verba priora, eum in modum, declarant, quod, nimirum, duo CHERUBI, in uno *Arcae* latere, poni non debuerint, neque, ita,

ita, ut unus alteri oppositus non esset; sed unus, in una extremitate, alter, autem, in altera, præcise, ut mutuas facies uterque sibi obverteret, statui debuerit. Conf. *Exod. XXXVII. v. 7. 8.* Causas, vero, cur non unum DEUS; sed duos CHERUBOS, facere præceperit, eam, communiter, afferunt *Ebraei*, כרי שלא תחשוב שהו"ה צורת האל, *ne, scilicet, quisquam existimet, hanc esse formam Dei ipsius, qui coli debet.* Objicienti, autem, quasi, inde, concludi potuerit, שתי דשויות, *duas potestates*, seu, duos Deos, esse, insimul respondent; Nequaquam; שהרי היו פורשים כנפיהם למעלה מקבליהם שפע כח הכנה להם: *quoniam, ideo, extendebant alas, superne, ad recipiendam, nempe, influentiam virtutis, desuper, a Deo ipsis venientis.* Plura, ad institutum facientia, ex MAIMONIDIS, מורת נבוכים, *More Nebb. Part. III. c. 45.* deprompta, inculcat BUXTORFIUS, *Exercit. de Arca Foed. c. IX. p. 100. seqq.*

§. 15. Neque, prorsus, nobis dimittenda sunt ista, v. 18. verba, מקשה תעשה אותם, utpote quæ, insigniter, in sequenti, statim, illustrantur, per מן הכפרת תעשה את, *Ex propitiatorio facies Cherubim.* Indicat, enim, vocabulum, מקשה, quod CHERUBI hi non separatum, &, quasi, distinctum, quoddam, ab ipso Propitiatorio, opus, fabricari, ac, deinde, tandem, cum eo conjungi, debuerint; sed quod ex una, potius, massa auri, solida, ac continenti, & eadem, quidem, ex qua constabat Propitiatorium, quæ nequaquam separari, a se invicem, aut divelli, debebat. Confirmat assertum hoc ABARBENEL, quando, ad hunc locum, ita commentatur: כיה היה זהב הכפרת גוף מלא בלתי חלול מכפנים כחתיכה אחת ויכו אותם בפטיש *Quia fuit aurum propitiatorii corpus plenum, non concavum, intus; ex frusto*

frusto uno constans, & tuderunt illud malleo, donec effingerent, ex illo, Propitiatorium, & Cherubos, Paria, fere, cum hoc, inculcat R. LEVI BEN GERSOM, cujus, Buxtorfio, etiam, teste, sequentia sunt: *Voce*, מְקֻשָּׁה, vult dicere, ut faciant hoc Propitiatorium, malleo, eo usque, massam auream tundendo, ut ista tusione, seu percussione, simul fiant Cherubi, a duabus extremitatibus Propitiatorii: כְּרִי שִׁיחֵי: כְּרִי שִׁיחֵי מִמְּתִיכָה אַחַת בְּמִסְפָּר: ut, scilicet, Propitiatorium, ac Cherubi, sint ex frusto, seu massa, numero, una. Neque, etiam, SALOMONIS commentatio, hic locorum, nos destituit, posteaquam iste suam, hoc super negotio, meditationem, ita, circumseribit: מְקֻשָּׁה תַעֲשֶׂה: i. e. Non facies eos, כַּפְּנֵי עֲצָמָם, Per se, seorsim, & conjunges eos, cum Propitiatorii, capitibus, posteaquam eos feceris, sicut artifices facere solent figuras, fundendo; sed, statim, ab initio, quando facturus es Propitiatorium, capies auri, quantum satis, & malleo illud, in medio, percuties, ut capita, superius, in duabus extremitatibus, protuberent; ad formandos, ex protuberantia ista, Cherubos. Plura non addimus, maxime, cum vel tria hæc, in medium adducta, testimonia, abunde satis, ut arbitror, evincant, quod Ebraei, per מְקֻשָּׁה, nihil aliud intellectum discupiant, quam quod CHERUBI, ex Propitiatorio, facti, atque elaborati, fuerint, ita, quidem, ut massa illa auri separari, divelli, ac distrahi, plane, non debuerit; sed quod, in Propitiatorio, ea ratione illi efformati fuerint, quasi, ceu rami, ex arbore, propullulassent.

§. 16. Situm, horum Cheruborum, comma 20. manifestat: In fontibus ita legimus: וְהָיוּ הַכְּרֻבִים פְּרָשֵׁי כַנָּפִים לְמַעַל סִכְכֵּי בְּכַנְפֵיהֶם עַל הַכַּפֶּרֶת וּפְנֵיהֶם אִישׁ אֶל אֶחָיו אֶל הַכַּפֶּרֶת יְהִיוּ פְּנֵי הַכְּרֻבִים: Mirabile dictu, statim, videri cuidam poterat, quod, posteaquam

quam

quam nulla, omnino, alarum mentio, antea, injecta fuerit, hic, tamen, de *Cherubis* enunciatur, quod alas, hi ipsi, suas expanderint. ABARBENEL, sane, observat, quod, prius, debuisset mandari, ut conficerentur alæ, deinde, demum, ordinari, ut alas CHERUBI, sursum, expanderent. At, enim, vero, necessarium, plane, hoc ipsum, vel eam ob causam, non erat, quoniam, ex antea memoratis, jam tum constabat, quod *Cherubi* puerorum, alatorum, forma, præditi fuerint, quæ ipsa MOSI, ita, æque ac populo *Israelitico*, tum, quidem, temporis, procul dubio, cognita, satis, fuit, atque perspecta. Hoc, enim, semel supposito, superfluum, utique, fuisset, ut speciale quoddam, de ipsis *Cheruborum* alis conficiendis, præceptum in medium proponeretur. Ad illud, potius, utroque oculo, hic, respiciendum est, quod *Cherubi*, alas suas expandere debuerint, למעלה; sursum, vel ut Jon. addit, כל קכל רישיהום, contra capita sua, ut, nimirum, ea ratione, magnificentum DEO Thronum, rite, demum, adpararent. Dum, enim, alter, ad alterum, alas extendebat, commodissimum, mireque spectabile, isti composuere solium, quo ipso potentissimus Princeps, imo, supremus dominantium Dominus, recipi debebat. Alludit ad hunc ritum, ut CL. JO. BRAUNIUS, in *Selectis S. Lib. II. §. XCV. p. m. 240.* adnotat, *Psalmistæ*, quando Ps. XCIX. v. 1. docet, quod DEUS *Cherubim* inter habitet, sive, super *Cherubis*, resideat, quale quid, de eodem, etiam, 2. Sam. VI. 2. 2. Reg. XIX. v. 15. Ps. LXXX. 2. & sigillatim, quidem, ut alia loca taceam, Ps. XVIII. v. 11. enunciatur, nisi quod, in ultimo hoc oraculo, רוכב על כרוכ, equitans super *Cherubo*, i. e. CHERUBO, veluti elato currui, insidens, ad indicandum, celerem istius, gloriosumque, adventum, introducatur. Præsentem, enim, se exhibebat DEUS, super *Arca fœderis*, instar Regis cujusdam, tali insidentis

folio, cujus latera sunt bina *Cheruborum* capita; *Sedile*, autem, alæ unius, ad alterum, expansæ, & mutuo complicatæ; ac *Scabellum*, denique, hoc sub respectu, *Aræ Operculum*. Sedebat, itaque, & habitabat, DEUS inter *Cherubim*, atque responsa, inde, & quidem, e medio istorum, per URIM & THUMIM, *Sacerdoti supremo*, eadem, submisit, petenti, impertiebatur. Illud, insuper, hic, notandum est, quod, *Cheruborum* nostrorum alæ, non eum in finem, ut corpora istorum, arctius, contingerent, eademque tegerent; sed ut, posteaquam elevatæ, atque expansæ, essent, sibi invicem, adnectarentur, atque, ita, sedem, quasi, quandam, supra *Arcam*, quæ *Thronus* DEI nuncupabatur, constituerent. Iisdem, quoque, alis hisce suis, expansis, *Propitiatorium*, insimul, ad normam *Exod. XXXVII. v. 9.* obvelare debuerunt. Factum, vero, hoc est, ut dignitas, ac splendor, istius, eo major, ac amplior, efficeretur, velamenque, seu cœlum, quasi, quoddam præsto illi esset, quale rebus, alias, quoque, pretiosis, ut LUNDIUS, imprimis, iudicat, superponere solemus. Consona his docet R. LEVI BEN GERSON, scribens: *Cherubim expandebant alas suas, sursum: ועוף להגביה עכאלו ורצו עצמו למעלה* Ac si vellent volare, & in altum se, sursum, evehere. Et, hac ratione, fuerunt alis suis סככים, *Obtegentes*, super *Propitiatorio*, כאלו היו כנפיהם סוכה עליה, *Ac si alæ ipsorum essent tugurium, vel tabernaculum, super eo.*

§. 17. Ad staturam CHERUBORUM delati, strictim indigitamus, quod tam *Mosaici* nostri, *Exod. XXV. v. 20.* & *XXXVII. 9.* quam, etiam, *Salomonei*, *2. Chron. III. 13.* erecti steterint; Ita, tamen, ut priores, supra *Propitiatorium*, positi, & quorum unus alterum intuebatur, deorsum spectarent, ad indigitandum, ut quidam conjiciunt, quod
CHE.

CHERUBI *Tabularum Legis*, quæ sub *Propitiatorio* erant, custodes esse debuerint; Posteriores, vero, sive *Salomonei*, super pavimento, in eodem latere, quasi collatero, stantes, פְּנֵיהֶם לְבַיִת, *facies suas, versus domum*, i. e. SANCTUARIUM, utpote quod, DAVID MARTIN, etiam, ad *Chron.* l. c. teste, ordinarie, & quidem, in eodem *Cap. III. v. 3. 7. 13. Cap. IV. v. 23.* *Domus* appellatur, direxerint. Locati, enim, erant hi *Cherubi*, ad, *Sancti Sanctorum*, extimum parietem, ita, ut, faciebus suis, tam *Arcam*, quæ ante erat, quam, etiam, *Sanctuarium*, faciei suæ adversum, respicerent, siquidem, vultu suo, ad *Orientem*, inclinabant. *Frustra*, itaque, nonnulli, ad quos VATABLUS, ibidem, provocat, asseverant, quasi, in *Libris Regum*, cujus, tamen, locum non indicant, nec unquam, etiam, indicare poterunt, scriptum sit, quod facies unius, horum *Cheruborum Salomoneorum*, versa fuerit in faciem alterius; Vel, ut VATABLUS sentit, quod facies illorum non ad ostium *Templi*; sed ad parietes illos, qui in lateribus erant, versæ fuerint: Atque, adeo, CHERUB ille, qui in parte dextra erat, parietem lateris sinistri, respicere visus fuerit, & contra, iste CHERUB, qui, in parte sinistra erat, parietem, lateris dextri, conspexerit. Quemadmodum, autem, altitudo, horum *Cheruborum*, decem cubitorum fuit, ita *una alarum*, quinque: Omnes quatuor, autem, alæ *viginti*, cubitos sibimet vendicabant, quæ & ipsa, præter altitudinem, latitudo, quoque SANCTI SANCTORUM, in *Templo Salomoneo*, erat: *Mosaicorum*, contra, CHERUBORUM alæ, ipsius *Propitiatorii*, quod contexerunt, latitudinem, five duos, solummodo, cubitos, & dimidium, *Exod. XXV. 17.* exæquabant. Hæc utut recte se, omnino, habere videantur, nondum, tamen, negotium istud, quod ad staturam, five altitudinem, *Mosaicorum Cheruborum*, attinebat, confectum est.

Parvos hos, respectu ad *Cberubos Salomoneos*, fuisse, vel inde, etiam, collectu, facillimum est, quod alarum, in his conspicuarum, quaelibet decem cubitos lata esset; cum, e contra, ambæ, *Cberubi unius Mosaici*, alæ, duos, tantum, cubitos, cum dimidio, (ut, jam tum, docuimus) retulerint. In *Salomoneo*, autem, *Oraculo*, majores, æque ac *Minores*, *Propitiatorio*, super *Arca*, adnexos, *Cberubos* comparuisse, præter *Bedam*, *LYRANUS*, quoque, quod mireris! auctor est, ita tamen, ut *minores MOSIS Cberubi*, majorum alis, insimul, obtekti fuerint. Cæterum, cum, super *Cberuborum Mosaicorum* statura, *Codex S.* certi quid non determinet, manum de tabula nos, quoque, hic removebimus. Per nos, itaque, sibi sapiant isti, qui, ex his verbis *R. SALOMONIS*: וְלֹא תַעֲשֶׂה כְּנַפְיָהֶם שְׂכָכִים אֲלֵהֶם פְּרוּשִׁים וְגִבּוֹהִים לְמַעַל רֵאשֵׁיהֶם שִׁיהָ עֶשְׂרֵה טַפְחִים בְּחֹלֶל שְׂבִיז לְכַפְרֵהּ i. e. *Non facies alas ipsorum cubantes; sed expansas, & in altum extensas, versus capita illorum, ut, decem palmorum, intervallum sit, concavitatis illius, que est inter alas, & inter Propitiatorium, colligunt; quasi, Mosaicorum Cberuborum, statura, decem palmorum fuerit.* Pro qua, sententia, ut *BUXTORFIUS*, in *Exercit. ad Hist. Arc. fœd. Cap. IX.* auctor est, *R. BECHAI*, quoque, pronunciat.

§. 18. In sexus, denique, rationem, pressius, ut inquiramus, vix quicquam, fortean, attinebit, posteaquam certiora, quæ, & hac in parte, tuto, legere queamus, vestigia, nobis haud suppetunt. Neutrum, interim, genus, hic, eligendum esse, cum *GENEBRARDO*, inde, quidam hariolantur, quod, apud *Latinos*, æque atque *Græcos*, nomina peregrina, sexu carentia, neutro genere enuncientur. Factum, inde, esse, ut *LXX. senes, Exod. XX. v. 18.* duos *Cberubos*, ex auro conflatos, δύο χρυσοβίμους χρυσοτοροῦσιν ἀν-
cupare,

cupare, voceque, adeo, in neutro genere, uti, voluerint. At, enim, vero, aperte, his contradicit HIERONYMUS; in *Ezech. Cap. X.* ita scribens: *Quanquam plerique τὰ χεῖρα ἐξ ἑβραίου, neutro genere, numeroque plurali, dici putent, nos scire debemus, singulari numero, esse Cherub generis Masculini, & plurali, ejusdem generis, Cherubim, non quo sexus in ministris DEI sit, sed quo unumquodque, juxta lingua sua proprietatem, diversis appelletur generibus.* Consonat huic venerabilis BEDA, *Cap. V. EZECH.* Numero, inquit, singulari, *Cherub*, plurali, autem, *Cherubim*, dicitur, & est nomen generis Masculini. Hæc uti, qua *Grammatica Regulas*, fundamento suo non destituuntur, ita, in eo, *Crisin* suam, frustra, exercet R. BECHAI, quod, quoniam voces, כְּרוּבִים שְׁנַיִם, in *Scriptura S.*, nonnunquam, combinentur, id, eam, potissimum, ob causam, fieri debuerit, quod τὸ שְׁנַיִם notet השוּוּיָה, equalitatem, veluti cum dicitur, שְׁנַיִם לַחֲזוֹת, *dua tabulae*; שְׁנַיִם כְּבָשִׂים, *duo agni* &c. Hoc, autem, in negotio, שְׁנַיִם ponendum fuisse, כִּי חֲלוּקִים, quia (Cherubi) *diverse fuerint conditionis, unus, nempe, mas, & alter fœmella.* Ad eam, autem, quod alibi, etiam legatur: מִבֵּין שְׁנַיִם הַכְּרוּבִים, item: וַיַּעַשׂ שְׁנַיִם כְּרוּבִים זֶה־כֶּתֶם, objectionem, idem iste, ut assertum suum defendat, regerit, illud fieri וּבִאֲהָרֹת כֹּהֵב לְרִמְתָּן הַשּׁוּרִיתָם ad designandam ipsorum qualitatem, respectu materia, & cum Operculo continentia. LUNDIUS, quoque, in *den alten Jüdischen Heiligthümern*/ refert, *Hebræos* perhibere, horum *Cheruborum* masculum alterum, alterum fœmellam, fuisse, quo DEUS, amorem suum, populo suo, testatum facere voluerit, populum, nempe, suum sibi, non minus, curæ cordique, esse, quam marito uxor. Sed, & his & aliis, quæ BLIXTORFIUS I, c. p. 101, ex *Rabbinorum* mente, refert, parum

fite-

fidendum est, cum Scriptura S. hic, fileat, & negotium hocce intactum, plane, relinquat.

P A R S II.

DE OFFICIO כפרת

S E U.

OPERCULI
PROPITIATORII.

§. I.

Officium כפרת duplexprehendimus; *Primarium*, scilicet, & proximum, vel *Secundarium*, & remotum, quod utrumque, præeunte Scriptura S. ex merito suo, eidem isti adjudicamus.

§. 2. Ad *primarium*, כפרת אר, officium quantum attinet, illud in eo constitit, quod OPERCULUM, *Arce fœderis*, illud esse debuerit, utpote cui, per cardines aureos, si fides, hac in parte, JOSEPHO, *Libr. III. Antiq. Cap. VI.* tribuenda est, junctum fuit. Scribit iste, ibidem: *Habebat Arca tegmen, aureis cardinibus, coaptatum, nulla ex parte prominens.*

§. 3. Hoc dum assevero, plane, me non fugit, quosdam in ea versari opinione, quod OPERCULUM *Arce*, & PROPITIATORIVM, non res eadem; sed, multum, a se invicem, distinctæ, fuerint: Arcam, enim, peculiare quoddam *Operculum* habuisse, cum, e contra, *Propitiatorium*, tabula quædam, ex puro auro confecta, fuerit, quæ *Arcam*, nullo modo, attigerit; sed, a *Cherubis*, elevata, & in altum sublata, fuerit. Observavit hos MENOCHIVS, *Libr. V. de Republ. Ebr. p. 429.* Porro, non constat, in-
Pro-

*Propitiatorium fuerit operculum, immediate, contiguum ipsi arca; an; vero, Arca suum aliud habuerit operculum, e ligno Setim, auro conuestitum; Propitiatorium, vero, fuerit altius elevatum, ad modum cuiusdam cæli, & exterioris ornamenti. Probabiliter, censent aliqui, propitiatorium fuisse elevatum, & in altum, a Cherubis, sublatum, super arcam, hoc adducti scrupulo, quia, alioqui, non potuisset esse sedes DEI, ita ut arca esset scabellum ejus. Præter Auctores, a Menochio l. c. adductos, hanc, quoque, sententiam amplectitur LYRA, ad Exod. XXV. quem & LUNDIUS, eum in finem, non solum allegat; sed, insimul, etiam, refutat. Et, ne quid reticeamus, ipse, quoque, SELDENUS, *Libr. de Jure Nat. & Gentium*, huic commento applaudit. Utrique VIRI hi CL, figuram istius exhibent, & posterior, quidem, suam ex *Vilalpando* desumpsit, apud quem, teste LUNDIO, *Sanctum Sanctorum*, ita delineatum, reperitur, ut hoc PROPITIATORIVM, supra *Arcam* elevatum, *Cherubi*, similiter, gestent. Meditationi huic, nisi me omnia fallunt, ansam suppeditasse videtur Ps. XCIX. v. 1. ubi *Psalmistæ*, de Deo, enuntiat: יֹשֵׁב כְּרוּבִים תִּנּוֹט הָאָרֶץ. *In-sidens Cherubis (regnat) nutet terra.* v. 5. autem: וְהִשְׁתַּחֲוּוּ לְהַרְוֹם רַגְלָיו. *Et incurvate vos ad scabellum pedum ejus.* Quoniam, itaque, PROPITIATORIVM, ex pura, atque solida, massa aurea concinnatum, adeoque, longe, pretiosius, atque nobiliter, ipsa *Arca*, erat, cujus materia, tantum, עֲצֵי שֵׁטִים, *Exod. XXV. v. 10.*; plane, hinc, sibi persuadere non potuerunt Viri hi, cæteroquin, Celeberrimi, quod *Scabellum, pedum DEI*, istud extiterit, eo, quod dignitas ejus tanta, ut excellentior, omnino, locus, atque situs, præ ipsa *Arca*, attribui illi debuerit. His, semel, suppositis, porro, sibi imaginabantur, quod ipsum PROPITIATORIVM, aut fulcris, aut alis, *Cheruborum*, in altum eleva-*

E

eleva-

elevatum, *Thronum*; demum, DEI, sive regale solium, cui, Ipsemet insideret, constituerit, *Arca*, autem, OPERCVLVM, scabelli loco, pedibus inservierit. Rationem hanc, admodum concinnam, atque optimam, esse, existimabant, per quam ad oculum, quasi, demonstrare, atque probare, possimus, quod, uti ipsum *Propitiatorium*, sedile, quasi, Domini, ita *Arca* subjecta, הָרוֹם רַגְלֵי אֱלֹהִים, *scabellum pedum DEI*, sistere debuerit.

§, 4. At, enim, vero, tantum abest, ut eam positionem, (quasi PROPITIATORIVM, vel *Cheruborum* alis, vel, certis quibusdam fulcris, columellis, puta, aut longis cardinibus, supra *Arcam*, sustineri, atque, ita, in altum sublevari, debuerit, ipsaque, adeo *Arca* præter PROPITIATORIVM, quod כַּפֶּרֶת vocatur, aliud, & peculiare, quoddam, *Operculum* habuerit,) nostram, quoque, faciamus, ut, potius, deferendam istam, & ad Auctores suos, debita cum censura, remittendam esse, arbitremur. Ut, enim, illud plane non attingamus, quod alæ *Cheruborum*, graciles, istiusmodi tabulæ sustentandæ, pares vix esse potuerint; nusquam, sane, Scriptura S. quæ omnia, exacte, hic, describit, *Operculi* cujusdam, quod a PROPITIATORIO distinctum fuerit, mentionem injicit. Imo, super ipso *Propitiatorio*, Dominus, disertis verbis, ita disponit: וְנָתַתָּה אֶת הַכַּפֶּרֶת אֶל הָאָרוֹן *Et impones propitiarium in arca*; Minime, autem, ullibi, istiusmodi quid, וְנָתַתָּה אֶת הַכַּפֶּרֶת עַל כַּנְפֵי הַכְּרוּבִים quod MOSES *Propitiarium* alis *Cheruborum* superimponere debuerit, inculcatur. Hæ, enim, *Cheruborum* alæ, ut, antea, jam tum, adstruximus, ipsam sedem, atque thronum, DEI constituebant, ita quidem, ut ipsum *Arcae Operculum*, quod *Propitiatorium*, alias, quoque, nuncupamus, *Cheruborum*, quasi, fulcimentum, cui firmiter isti insisterent, extiterit. Ne, vero, vel primi, vel soli,

hoc

hoc nos asseverasse videamur, spissior, omnino, si instituti ratio id permetteret, testium, qui, olim atque olim, idem senserunt, nubes adduci, hic, posset, siquidem, ut, spicilegii, loco, paucos indigitemus, non, MÜNSTERVS, solummodo, ac VATABLVS, *Propitiatorium*, per *Arca Operculum*, circumscribunt; sed FAGIVS, etiam, sentit, quod *Ebraei* hic, simpliciter, כַּפֹּת תֹּרַיִם, pro *Operculo Arca* accipiant, & sapienter, insimul, monet, quod altera, quoque (*Propitiatorii*, nempe,) significatio, modo *Proprium* inter, atque *Metaphoricum*, significatum, probe, distinguatur, locum, quoque, hic inueniat. Accedit quod VATABLVS, quoque, CASTALIO, CLARIUS, CARTHWRIGHTIUS, in *Bibliis Criticis*, ordine suo, recensiti, consona his inculcent. Omnes, enim, uno ore, palam profitentur, quod PROPITIATORIVM aliud nihil, quam Tabula, *Arca* superimposita, fuerit, quodque *Interpretes* isti, qui Tabulam hanc, per *Propitiatorium* redderunt, verbi, potius, a quo כַּפֹּת תֹּרַיִם, authenticum, derivatum est, quam rei ipsius, rationem habuerint. Suum, insuper, sententiæ nostræ calculum, præter LVNDIVM, SIGONIVM, aliosque, ex ipsis *Pontificiis*, etiam adjicit CORNELIVS a LAPIDE, quando, hoc in negotio, summo opere, ac potissimum, similiter, urget, quod *Propitiatorium*, cum *Arca operculo*, sive tabula ista, quæ *Arca* operiebat, atque contegebat, plane coinciderit, *Operculumque*, adeo, ac *Propitiatorium*, qua usum primarium, rem, plane, unam, atque eandem, indigitaverint.

¶ §. 5. Cæterum, cum οἱ εἰς ἐναντίας, ulterius, instent, & sigillatim, nobis objiciant, quod, nisi concedere velimus, PROPITIATORIVM, supra *Arca*, elevatum fuisse, *ARCA Scabellum, pedum Dei*, sistere non potuerit; haud extra o-

1090

E 2

dicam,

dicam, pressius, quodammodo, hic inquisiverimus. *Exaltate*, inquit, ibidem, PSALMISTA, *Jehovam, Deum nostrum, & incurvate vos*, להרום רגליו, AD SCABELLUM PEDVM EJVS. i. e. ut GEIERVS, & alii, ad hunc locum, adnotant, *coram Arca*, ad *Arcam*, vel, etiam, *ante Arcam*. Per *scabellum*, enim, *pedum Dei*, FOEDERIS ARCAM intelligendam esse, Auctor, etiam, *Chronicorum*, quando *Cap. XXIIIX. v. 2. Libr. I. יהוה ברית ארון, & הרום רגליו*, ut *Synonyma* sinit, testimonio suo, adprime, corroborat. Vocabatur, autem, *Arca*, ut recte judicat SIXTINVS AMAMA, in *Antib. Bibl. Libr. III. p. 534. Scabellum pedum DEI*, sive, ratione cœli, quod ipsum, ob majorem gloriam, qua illustris est, cum DEUS ibi, majesticè, sedet, alias, quoque, sanctissimus DEI THRONVS nuncupatur, sive, etiam, quod alæ *Cheruborum*, sedem quandam Dei repræsentaverint, cujus ὑποπόδιον fuerit *Propitiatorium*, sive *Operculum Arca*, cui ipsi, quoque, *Cherubim*, insimul, insistebant. Ad hanc, itaque, *Arcam*, super qua, cum *Propitiatorio Operculo*, CHERVBI, quorum alis, expansis, dominus infedisce dicitur, conspicui erant, DAVID præcipit, ut pii vultus suos convertant, cultuque debito atque submisso, DEUM verum, atque unicum, adorent. Pro *Arcæ*, sane, summatim, & una cum *Propitiatorio*, atque *Cherubis*, spectata, τὸ רגליו הרום, SCABELLVM PEDVM Ejus, i. e. DEI, accipiendum esse, vel THREN. ista, *Cap. II. v. I. Non recordatus est Dominus הרום רגליו. Scabelli pedum suorum, in die furoris sui*, sufficienter, evincunt. Excipienti, enim, quasi, hic locorum, per allegatam *Phrasæologiam*, vel *TEMPLVM*, vel ipsa *Urbs HIERSOLYMITANA*, indigitetur, parata erit responsio, quod, tamen, locis hisce, hujus quicquid est denominationis, non aliter, quam sub respectu, ad *Arcam Fœderis*, una cum hujus

Opera

Operculo Propitiatorio, atque *Cberubis*, habito, competat. Et ne plura, hic, accumulemus argumenta, ipsa *Propitiatorii*, atque *Cberuborum*, constitutio, omnem controversiam, vel ea de causa, facile dirimit, quod כְּרוּבִים, seu **CHERUBIM**, cum *Propitiatorio*, ut in *Cap. L.* demonstravimus, מְקֻשָּׁה, *opus continuum*, seu, ex una, eademque, massa aurea, à se invicem non divulsa, confectum, fuerint; ita, quidem, ut **CHERUBI**, in ipso *Propitiatorio*, tanquam pavimento quodam, subsistere debuerint. Rei, itaque, veritate motus, ipse **MENOCHIUS**, ingenue, cum *Abulensi*, *Alcazar*, *Ribera*, & aliis, apud eosdem, affirmat, quod **PROPITIATORIUM**, immediate, & proxime, *Fæderis Arce* impositum fuerit, eandem tetigerit, atque texerit, primumque, כַּפֶּרֶת עֹר, officium istud fuerit, ut *Arca* conregeret, maxime, cum, non **JOSEPHUS** tantum, 3. *Antiq.* c. 6. idem doceat; sed, *Scriptura S.* etiam, **PROPITIATORIUM**, per *Operculum*, & *tegumentum*, *Arca*, apertissime, circumscribat. *Scabellum*, itaque, *pedum DEI*, in *Propitiatorio* sedentis, dici, omnino, poterat *Arca*, quatenus, scilicet, **PROPITIATORIUM** ipsos *Cberubos*, in quorum alis sedit **DEVS**, includebat, siquidem, alioqui, *Propitiatorium*, seu *Operculum Arca*, quod, per *Synechdochen*, *Arca*, quoque, nuncupatur, non, præcise, *thronus*; sed *tabula throni Dei*, extitit. Hæc, & alia, **LVNDIVM**, in primis, ex merito suo, facile induxerunt, ut pro legitima, quam stitimus, sententia; καὶ πὺξ καὶ λαίξ ipsemet, quoque, & sequenti, quidem, præter cætera, argumento, depugnaret: *Si, enim, inquit, Propitiatorium, elevatum fuisset super arcam, Deusque ei insedisset, sane Scriptura S. id, vel unica vice, indicaret, quæ, autem, semper dicit, DEUM Cberuborum alis insedisse.*

§. 6. Posteaquam, ita, ut arbitramur, solide, evictum
 E 3 est,

est, quod primariae, quali OPERCVLI PROPITIATORII partes fuerint, ut *Fæderis Arcam* istud contegeret, ulterius, super eo, jam nunc, disceptari poterat, utrum *Tabule legis* impositæ in *Arcam* fuerint, antequam huic *Operculum* esset superadditum; num, vero, postea, demum, atque, hac ratione, *Operculum*, denuo, ut TESTIMONIVM, in *Arca*, reponi posset, removeri debuerit. Quærendi, & dubitandi, ansam, nobis suppeditat EXODI, *Capitis XXV.* v. 16. cum v. 21. accuratiori studio, tantisper, collatus; Si quidem in v. 16. post præceptum, de *Arca* facienda, ante PROPITIATORII factam descriptionem, sequentia, statim, subjunguntur: ונתת אל הארון את הערת אשר נתן לך *Et pones in arcam testimonium, quod tibi dabo.* Ex quibus, verbis, omnino, colligi posse videbatur, quod DEVS, facta *Arca*, statim jusserit, ut in eam, quoque, *Testimonium* antequam fieret PROPITIATORIVM, hocque, adeo, suo tegendi officio perfungi posset, reponeretur. At, enim, vero, in v. 21. e contra, præceptum, de PROPITIATORIO faciendõ, & *Arce* imponendo, in verbis: ונתת את הכפרת על הארון מלמעלה, præmittitur, & tum demum, iterum, a DEO, *Mosi* injungitur: ואל הארון נתן את הערת אשר נתן לך *Et ad arcam, vel, potius, in arca, pones Testimonium, quod tibi dabo.* Et ex his, quidem, similiter, aperte satis, constare videbatur, quod TESTIMONIVM, tum demum, in *Arca*, collocari debuerit, posteaquam *Propitiatorium* factum fuisset. Sed, probe, & utroque oculo, ad Particulam *Vau*, וְ, נָל præfixam, hic attendendum est, utpote, quæ, ne ultimus, locus, priori contradicat; per *Posteaquam*, exponenda est, ut *genuina*, 21. commatis, *versio*, ex JVNII, & TREMELLII, judicio, sequens sit: *impones, autem, OPERCVLVM hoc PROPITIATORIVM Arca ipsi, superne,*

NB,

NB. *Posteaquam*, in *Arca*, posueris TESTIMONIUM illud, quod daturus sum tibi. Et hoc, sane, CCLL. VV. interpretamentum, *Magistrorum Judaicorum*, quorum vestigia, hac, quoque, in parte, arctius, illi premunt, calculis, olim atque olim, sufficienter, comprobatum fuit; siquidem potiora istorum testimonia, BUXTORF. in *Hist. de Arca foed. Cap. IX.* p. 105. seq. nobis suppeditat. Addamus istis, solummodo, R. LEVI BEN GERSON illa, quæ, ad 21. versiculum, adnotat: לֹא יָדַעְתִּי לְמָה נִכְפַּר, *Nescio quare repetatur*, (duplicetur) *præceptum nempe illud*, *Et impones, in arcam, testimonium*, cum jam v. 16. *propositum illud fuerit?* Resp. *Dici potest, fieri hoc ad docendum*: שְׁבַעוֹרוֹ אֲרוֹן לְכַדוֹ בְּלֹא כִפּוּרֵי יִתֵּן תַּחֲלָה הָעֲדוּתָהּ לְחֹכֵן וְאַחֵר כֵּן יִתֵּן הַכִּפּוּרֵת עֲלֵיוּ וְכֵן מְצִינֵנוּ כְּשֶׁהָקִים אֲרֹן הַמִּשְׁכָּן נֹאמַר וַיִּתֵּן אֲרֹן הָעֲדוּתָהּ אֶל הָאֲרוֹן וְאַחֵר כֵּן וַיִּשֶׂם אֲרֹן הַכִּפּוּרֵת אֶל הָאֲרוֹן לְמַעַלָּה: i. e. *Arca adhuc sola, sine operculo, existente, indendum ei esse testimonium*: Sic, enim, in erectione *Tabernaculi*, dicitur primo: *Tulitque, & posuit, testimonium in arca*; Deinde; *Et propitiatorium posuit super arca, superne*. Aperto hæc sunt indicio, prius TESTIMONIUM, vel LEGEM, in *Arca* delatam esse, quam PROPITIATORIUM suum exercuerit, in regendo illam, officium.

§. 7. Hanc, vero, *וְאַחֵר* *Vau*, expositionem, qua, per *Posteaquam* redditur, precariam non esse, illud NOLDIUS in *Concord: Particular. Hebræo-Chaldaicarum* p. 290. seq. per varia exempla eundo, erudite, probat; siquidem, ut alia taceam, JOSVAE ista, Cap. VII. v. 25. *Et cremavit eos igne*, וַיִּסְקְלוּ אוֹתָם בְּאֲבָנִים Non, per, *Et lapidarunt*; sed, omnino, per, *POSTEAQVAM lapidassent eos, lapidibus*, reddenda sunt. Et, sane, cum mandatum istud, vi cuius TESTIMONIUM, in *Arca*, reponendum erat, ante

te

te promulgatum esset, quam illud, quo *Operculum* isti adparari debebat, utpote quod, versiculo 21, demum, proponitur, conveniens, utique, est, ut credamus, quod dictum, etiam, *Testimonium*, sive, *Tabula lapideæ*, prius, in *Arcam*, demissæ fuerint, quam *Operculum* eidem huic imponeretur: Utut, enim, res hæc, id quod PATRICIVS, etiam, in *Comment. ad Exod. Cap. XXV. v. 16.* apte, docet, in v. 21. denuo, memoretur, & quidem, posteaquam *Operculi* mentio, prius, facta fuisset; mens, tamen, scribentis est, ut *Operculum Arca*, prius, non adplicetur, quam **TESTIMONIVM**, *Arca*, antea, insertum fuisset: Idem, vero, duplici vice, eam ob causam, MOSI injunctum fuit, ut hic, eo majori cum studio, negotium hoc procuraret, quoniam *Cberubi* protegere, atque defendere, הערה, *Testimonium*, debebant. Erat, autem, hoc *Testimonium*, sive, ut LXX. reddunt, τα μαρτύρια, *Testimonia*, TABULÆ LAPIDÆ quibus DECALOGUS inscriptus erat, siquidem *Cap. XXXI. v. 18.* Tabulæ hæc, להות הערה, *Tabule Testimonii*, & ipsum Tabernaculum משכן הערה, *Tabernaculum Testimonii*, Num. I. v. 5. nuncupatur. Cum, enim, apud *Ebraeos*, עור, & in Hiph. העיר *testari*, sæpe, nihil aliud sit, quam *commonefacere*, *indicare*, ut Ps. 2. v. 7. *Audi, popule mi, & eloquar; aures præbe, ò Israel, & contestabor te;* hinc, quoque, *Testimonium*, ערה, EDHA, vel, ערוה, EDHVTH, est *institutio*, *monitum*, *præceptum*, ut Ps. CXIX. v. 2. & sæpius, in eodem *Psalmo*. Et, inde, est, cur *Decalogus*, κατ' ἐξοχήν, **TESTIMONIVM** dicatur, quoniam, scilicet, iste, potissima DEI præcepta complectitur.

§. 8. Ordo, jam nunc, me deducit ad officium, כבדת, *Secundarium*, vel remotum, id quod non minus, quam, quidem, *Primarium*, atque proximum, notari merebatur: Inserviebat, enim, istud, eo sub respectu, tum

קרש

קדש ישראל, seu, SANCTO ISRAELIS, ipsique, adeo, propitio supremo Numini; tum, quoque, non *Populo Israelitico* tantum; sed & universo, demum, generi humano.

§. 9. DEO officium suum præstitit כפרת, quoniam Ille alis *Cheruborum*, ceu, כסא ארתו, *Throno magnificentiæ* suæ, insidens, ibidem, apparuit, atque, exinde, e medio eorum, *Summo Sacerdoti*, per URIM & THUMIM, responsa dedit. Fuit, enim, illud, una cum זר זרק, seu, *limbo auri*, qui Arcam cingebat, *Scabellum pedum DEI*, maxime venerabile, ac spectatu dignissimum. Et huc, quidem, inprimis, quoque, respicit MENOCHIUS, quando scribit: *Debuit, autem, propitiatorium esse tam solidum, ut sedentem quempiam, vel pedibus innitentem, sustentare posset: Ipse, enim, DEUS, se præsentem, ibidem, MOSI & PONTIFICI MAXIMO futurum esse, sancte pollicitus est.* Cæterum, quantum ad rationem, atque modum, divinæ, super *Propitiatorio & Cherubis*, adparitionis, attinet, illud argumentum, utpote arduum, valde, atque difficile, *Criticorum* ingenia, non parum, semper, exercuit. DEVM, quovis tempore, visibiliter, se conspiciendum, ibidem, exhibuisse, vix, absque temeritate, asseri posse, autumo, qui, alias, plane, non inficior, quod, quovis tempore, σύμβολον quoddam, gratiosæ præsentiaæ divinæ, præsto, ibidem, esse potuerit. Nubem, autem, illud fuisse, probabiliter, quidam colligunt: Siquidem, sigillatim, CL. COCCEJUS docet, quod fuerit nubes, singulari divina dispensatione, ibi collocata, ex qua DEUS loqui, & responsa dare, consueverit. Provocant sententiæ hujus Patroni, inprimis, ad *Lev. XVI.* ubi DEUS, expresse, v. 2. pronunciat: בענן ארתו, על הכפרת, *In nube apparebo, super propitiatorio.* Insuper urgent, quod in *Scriptura S.* frequentissime, inculcetur, DEVM, in nube, apparuisse; item, etiam, in tenebris

bris habitasse; quæ loquendi formula luculentum nobis præbeat indicium, quod *Majestas*, sive, *Gloria divina*, nubi, semper, inclusa fuerit. Alii, vero, utut, sponte, largiantur, quod *Propitiatorium* sedes DEI propria, quasi, fuerit, in qua *Gloria* Ipsius apparuerit, & ad quam, ea de causa, nemo, nisi quem, & quo tempore, Ipsemet ordinaverat, absque præsentissimo mortis periculo, accedere debuerit; Illud, tamen, in controversiam, potissimum, vocant, quidnam, præcise, per nubem istam, in qua DEUM, super *Propitiatorio*, adparere velle, dicitur, *Lev. l. c.* intelligendum sit? Utrum scil. eadem ista nubes, in qua GLORIA DIVINA, *Exod. XL. v. 34. 35. 1. Regum. VIII. v. 10. II.* residebat; num, vero, diversa quædam ab ista, a Mose, in *Leviticis*, introducatur? Priorem, vel inde, hic, locum invenire non posse, arbitrantur, quoniam illa in exteriori *Tabernaculi* parte, & quidem, super hoc eodem, fuerit conspicua, in cujus medio *Gloria*, sive splendor fulgentissimus, nulla nube circumscriptus, extiterit. Hic scrupulus, excellentissimos alios *Philologos*, CAMPEGIUM VITRINGAM, imprimis, *Observ. Sacr. Libr. I. Cap. IV. p. 162. seqq.* quem, præter cæteros, SIMON PATRIUS, in *Comment. ad Levit. l. c.* secutus est, eo perduxit, ut conjectarent, quod, hoc in loco, ad fumum incensi istius, quem *S. Sacerdos*, coram PROPITIATORIO, in die כַּפּוּרִים, s. *Expiationum*, facere debebat, respiciatur, quum, si, jam antea, GLORIA DIVINA, super *Propitiatorio*, nubi cui-dam inclusa fuisset, ibidemque, sub hac eadem, semper, comparuisset, supervacuum, plane, fuisse videri potuerit, ut *S. Sacerdos*, quale quid, tamen, v. 13. ordinatur, incensum fumi, atque nubem quandam, excitaret, posteaquam *Gloria divina*, sufficienter, jam tum, obscurata fuisset? Ab hoc, itaque, incommodo ut verba, in *Levitico*, a DEO, pro-

pro-

prolata, quadantenus, liberentur, voluisse perhibent Deum, ut PONTIFEX S. *Expiationum* die, sæpius, ut judicant, ingressurus in *Adytum*, fumum, instar nubis, conficeret, qui rebus sacris induceret caliginem, ne secreta *Adyti*, oculis omnium, paterent. Hoc, autem, suum interpretamentum, vel inde, etiam, inprimis, corroborant, quod licet, הָרָא , *videndi* significationem, apud *Ebræos*, communiter, obtineat, in *Scriptura*, tamen, voces, *videri*, & *apparere*, aliquando, non simplici, sed composito, significatu, reperiri, ut, nimirum, *videri*, sive, *conspici*, ab alio, coram nobis apparente, significant. Sensum, itaque, verborum, $\text{בְּעֵנַן אֲרָאָה עַל־הַכַּפֹּרֶת}$, esse: in *In nube videbor, super Propitiatorio*, i.e. *Nullus, coram me, comparebit, nisi cum nube*, quæ *Propitiatorium*, contexit. Cum, enim, PONTIFEX *Ebræorum*, solenni *Expiationis die*, accenso suffitu, coram *Propitiatorio* extumo, nubem procreare debuerit, arbitrantur, hanc ipsam eandem istam fuisse, sine qua, hic locorum, accessum ad se DEUS prohibuerit. Docetur, vero, hoc ipsum, explicite, v. 13. ubi *Summo Sacerdoti* injungitur, ut igni imponat suffitum, in antecedentibus, præscriptum, coram JEHOVAH, ut, nimirum, *Nubes illa suffitus*, (cujus, etiam, mentio, v. 2. jam tum, facta fuerat) tegat OPERCULUM, quod super *Testimonio* est; atque, ita, *Sacerdos S.* (instar filiorum suorum, *Nabhabb*, & *Abhibu*, qui, peregrinum ignem intulerant) non moriatur. Nos, qui interpretationem, quod, per nubem hanc, fumus, ex accenso suffitu, procreatus, qui *Gloriam divinam*, suo modo, texerit, atque obnubilaverit, in v. 2. congruenter, concipi queat, non improbamus; verbum, tamen, הָרָא , *Active*, uti Grammaticæ debebat, reddi, & posse, & debere, existimamus, ut mens *Numinis*, indulgentissimi, sequens sit: *Et, in nube ista, vel, POSTEA QUAM, ita, suffitum, sive*

nubem istam, *Summus Sacerdos*, rite, & ex lege præscripta, coram *Propitiatorio*, excitaverit, אָרָא אֵלַי *Apparebo ego ei*, i. e. *Gratosum ego me ipsi*, atque universo, pro quo supplex intercedit, populo *Israelitico*, super *Propitiatorio*, exhibebo.

§. 10. Ipsius, itaque, *Populi Israelitici*, etiam, respectu, amplissimum, maximeque spectabile, כַּפֶּרֶת אֲדָמָה, officium fuit: Inde, enim, DEUS populo suo notum se faciebat, *Summoque Pontificii* ad interrogata, per URIM & THVMMIM, e medio duorum *Cheruborum*, respondebat. O itaque, felicem istum populum, qui gratiose, ibidem, dicta, ac monita saluberrima, ministerio *Summi sui Sacerdotis*, ex ore ipsius DEI, percipiebat!

§. 11. Tandem, quoque, idem istud, כַּפֶּרֶת אֲדָמָה, officium, respectu totius generis humani, celebratissimum erat, quatenus, nimirum, typice, & respectu CHRISTI, quidem, utpote, quem, alias, quoque, accurate, præfiguravit, in idem illud, pietissimo affectu, introspicitur. Explicat hoc ipsum LIGHTFOOTVS, elegantissime, quando de *Cherubis*, præter cætera, commentatur: *Alter alterum intuebatur, sed ambo Propitiatorium; sic duo Testamenta, Vetus, & Novum, se mutuo respiciunt; sed ambo Christum. Idem faciunt due Ecclesie, Judæorum & Gentium.* De Propitiatorio, autem, dicit: *Vti DEVS, inde, Israelitis loquebatur, ita DEVS nobis, per CHRISTVM.* Hebr. I. v. 1. Constat, ita, ex his, quod iste, qui כַּפֶּרֶת אֲדָמָה, PROPITIATORIUM, *Vet. Testamenti*, non solum, proxime; sed, etiam, remote, sincero affectu, meditabitur, egregium, quoque, & nunquam, satis, deprædicandum, Ejusdem officium fuisse, ut præfigurare, & adumbrare, CHRISTVM debuerit, devoto, submissoque, cultu fateri, necessum habeat.

PARS

PARS III.
 DE DURATIONIS כפרת טע
 SEU.
 OPERCULI
 PROPITIATORII.
 TERMINO.

§. I.

Hoc agentes, ut de *Durationis Termino*, כפרת טע, strictim, quædam commentemur, atque edifferamus, omnes, quotquot rerum harum gnari, quadantenus, sunt, haud gravatim, nobiscum sentient, quod alex plenum, dubiumque, opus, jam nunc, adgrediamur. Cum, enim, hoc super negotio, *Scriptores*, Θεόπνευστοι, certi quid scriptum nobis non reliquerunt, factum, hinc est, ut tot, discrepantes, *Doctorum* sententiæ, deprehendantur, & ab his illa, ab aliis alia, pro stabilienda sua hypothesis, argumenta, in medium proferantur. Omnis, interim, quæstio, huc, prope modum, redibit; Utrum, scilicet, (1) PROPITIATORIUM, una cum *Templo primo*, esse desierit? An, vero, potius, illud, (2) exciso, licet, *Templo priori*, salvum, nihilominus, atque incolume, substiterit? & (3.) Utrum, si, ita, superfuerit, in *Templo*, etiam, *secundo*, idem istud, huc dum, comparuerit? & (4) denique, quo illud, tandem, (Sive fuerit in *Templo II.* sive non) devenerit? Singula hæc, singulatim, etiam, tantisper, expendemus.

§. 2. PROPITIATORIUM, simul cum *Templo primo*, esse desiisse, omnes isti statuunt necesse est, qui aut *Arcam*, simul cum *Propitiatorio*, in VRBIS excidio, in *Babyloniam* transportatam fuisse, arbitrantur; aut corruptam, a *Babyloniis*, in *Templo*, istam fuisse, asseverant; vel, etiam, ca-

F 3

ptis,

ptis, a *Nebucadnezare*, *HIEROSOLYMI*, & *luc. c. 10. templo*,
 eam, quoque, combustam esse. pronunciant. Priori qui ap-
 plaudunt sententiæ, quasi, nempe, *Arca*, una cum *PROPI-*
TIATORIO, in *Babyloniam* transporta fuerit, illi *Talmudis*,
 ejusdemque *Babylonici*, auctoritate, potissimum, nituntur, cu-
 jus, in *Tract. JOMA, Cap. V.* verba sunt: *מִשְׁכַּבְתֵּי הָאָרוֹן* i. e.
ex quo ablata est arca. Urgetur hoc testimonium in *GE-*
MARA, fol. 53.2. ubi ad istud adnotatur: *מִשְׁכַּבְתֵּי הָאָרוֹן*
אֵלֶּה מִשְׁכַּבְתֵּי הָאָרוֹן כִּמְנוֹן דְּאָמַר אָרוֹן גָּלָה לְבַבְרֵי דְתַנְיָא רַב
אֵלֶּה מִשְׁכַּבְתֵּי הָאָרוֹן אֲלֵי־עֹזֵר אֲמַר אָרוֹן גָּלָה לְבַבְרֵי:
Ex quo abscondita est ar-
ca, non dicitur; sed ex quo ablata est arca: Siquidem quis
dicit: Arca migravit, (deportata) est, Babelem. Qui *Dr.*
Talmudicus, Rabbi ELIESER, dicens: *Arca migravit Babe-*
lem. Quo, autem, fundamento inductus ille fuerit, ut
 ita, sentiat, statim adjicitur: *שְׁנַאֲמַר וְהַתְּשׁוּבָה שְׁנָה שְׁלֹחַ*
הַמֶּלֶךְ נְבוּקַדְנֶאֶצַּר וַיְבִיאֵהוּ בַבְּלָה עִם כָּלֵי הַמִּטָּה בֵּית יְהוָה:
Quod dicitur: Et vertente, anno, misit Rex, Nebucad-
nezar. & venire fecit eum, nempe, JOSIAM, Babelem,
cum omnibus vas, desiderabilibus, domus domini. Hæc
 verba leguntur *2. Chron. XXXVI. v. 10.* Hisce vasis desi-
 derabilibus, omnino, etiam, *כְּפֹרֶת*, seu, *PROPI TIATORI-*
UM, annumerandam esse, in eadem, *Gemara*, Doctores
 existimabant. Confirmatur ista sententia, testimonio, quo-
 que, atque suffragio, *R. SIMEONIS*, de quo legimus: *רַשִׁי*
בֶּן יוֹחָי אֲמַר אָרוֹן גָּלָה לְבַבְרֵי שְׁנַאֲמַר אֲשֶׁר דָּא יוֹתֵב דְּכַר
אֲמַר יְהוָה: i. e. *Rabbi SCHIMEON, Filius JOCHAI, dicit;*
Arca migravit Babelem; Quod dicitur; Non relinquetur
quidquam, dicit Dominus. Desumpta hæc verba sunt ex *2. Reg.*
XX. v. 17. Ex his iisdem, enim, concluditur, quod si nihil, o-
 mnino, in *Templo*, quod non *Babelem* deportari debuerit,
 remanserit, *PROPI TIATORIUM*, quoque, remanere non
 potuerit. Roborari hoc assertum, in primis, videri poterat,
 ex

ex

ex *Esdra*. X. v. 22. ubi, expresse, dicitur: *Et arca Domini direpta est*; Nisi, in vulgus, notum esset, quod, liber iste, omni auctoritate *Canonica*, atque, adeo, omni vi probandi, prorsus, destituatur, unde & haecenus, dictis, quasi *Arca*, cum PROPITIATORIO, *Babelem* transportata fuerit, nullus, unquam, tuto, subicribet.

§. 3. E contrario, itaque, contendunt nonnulli, quasi PROPITIATORIVM, *Templo*, licet, jam tum, exciso, etiamnum, tamen, superstes, & ut fidem dictis, eo facilius, faciant, absconditum, remanserit: Sed hi ipsi, etiam, quantum ad absconsionis *Auctorem* attinet, non parum, a se invicem, dissentiunt. Quidam, JEREMIAM istum fuisse, asseverant, quibus, suo exemplo, praevisse, quodammodo, videtur, JOSEPHVS BENGORION, Lib. 1. *Cap.* XVII. quando scribit: *Arca, autem, non aderat, quia abstulerat eam, Propheta Jeremias, una cum omnibus cortinis, quas fecerat Moses, servus Domini, in deserto, & posuit eas in monte Nebo, ubi invenit Speluncam, in cujus concavitate posuit eas.* In idem, quasi, cornu inflat *Auctor* libri 2. *Machab.* *Cap.* II. qui, tamen, *ESDRÆ Cap.* X. in os, quasi, obloquitur, Verba legi possunt, statim, ab initio *Capitis* & sequentibus. THEOPHYLACTVS quoque, dogma hoc, suum, quadantenus, fecisse videtur, siquidem, & iste, in *Epist. ad Hebraeos, Cap.* IX. occulationis *Arca*, quæ, JEREMIÆ temporibus, facta sit, mentionem injicit. *Jeremiam*, autem, absconsionis auctorem esse non posse, evincere, præter cæteros, conantur ANDREAS RIVETVS, ad *Exod.* XXV. & JO. MÜLLERVS, in *Judaismo Refutato*, ad quos & Cel. BUXTORE. Lectores, in *Historia Arca fæd.* remittit. *Jeremia* e medio, hac in parte, tummoto, reperti sunt, qui ad JOSIAM, quasi, hic ipse, *Arca* abiconderit, se recipere instituerunt, illudque, adeo, insimul, egerunt, ut, absconditi

PRO-

PROPITIATORII, eundem istum, quoque, auctorem constituerent. Horum in numerum, suo quodam modo, referendus, quoque, est, *ABARBENEL*, utpote, qui, in *Cap. IX. DANIELIS*, hanc absconsionem *JOSIÆ*, quidem, stilo, paululum, prolixiori, similiter, assignat: In *Comment.* autem, in *Prophetam HAGGÆUM*, *Cap. I. v. 8.* nescius, plane, est, utrum *JOSIAS*, an, vero, *JEREMIAS*, in subsidium, hic, evocandus sit. Verba ita habent: כי הנה הארון גנוו יאשיהו או ירמיהו *Nam, ecce! Arcam absconderunt JOSIAS*, aut, *JEREMIAS*. Soli, interim, *JOSIÆ* negotium hoc vindicat *R. LEVI BEN GERSON, & TALMVD. Hierosolym.* ubi legimus: וי גנוו יאשיהו סלך יהודה *Quis abscondit eam? JOSIAS, Rex Jebudab.* Et, sane, si, paulo accuratius, in factum hoc introspicere velimus, ultro, patefcet, quod, ex omnium, fere, *Ebræorum* consensu, Rex *JOSIAS*, Auctor ejusdem, constituendus sit. Cum *Arca*, autem, postquam *PROPITIATORIUM*, arctissime, conjunctum fuit, nullus, arbitror, dubitabit, quin *Arca*, æque ac *PROPITIATORII*, absconditi, Auctor, pro uno, eodemque, habendus sit. Ipsum *absconsionis locum*, propius, isti designant, qui *SANCTUM SANCTORUM* illum constituent, atque asseverant, quod, ibidem, sub lapide quodam, *Arca*, una cum *Propitiatorio*, occultata fuerit. Horum in numero. *R. DAVID KIMCHI* est, qui, expresse, asserit; *ibi stetit, etiam, Sanctum Sanctorum, Arca & Propitiatorium.* Sed ut, quod res est, ingenue, fateamur, opus periculosæ plenum alexæ est, determinare, quisnam, præcise, locus, pro eo, in quo pretiosissima hæc, *Israëlis, κειμήλια*, tuto, delitescere potuerint, eligi mereatur.

§. 4. Nonnulli, autem, istorum, qui *PROPITIATORIUM*, talismodi ratione, una cum *Arca*, absconditum, tantisper, fuisse, sibi persuadent, asserere, ulterius, non ver-

veren-

verentur, quod idem istud, cum Arca, in *Templo secundo*, denuo, comparuerit, suaque praesentia, multum splendoris, atque dignitatis, isti conciliauerit. Nominamus, hic, praeter reliquis, JOSEPHUM, qui *Lib. I. Cap. III.* in hoc argumento exornando, potissimum, occupatus est. Hujus, itaque, nixus auctoritate, R. ASARIAS, id sibi sumit, ut a communi, contribulium, in *סנוך עיניו*, *Part. III. Cap. 51.* sententia, secessum faciat, & magno illud, ibidem, molimine agat, ut hujus, imprimis, rei intuitu *Templi secundi* praestantiam, praeter *Primi*, dilucidius, demonstret. Ne, vero, post JOSEPHUM, solus in acie stetisse videatur, auctoritatum quarundam agmine, idem iste, insimul, constipare se allaborat, quae, tamen, omnes, parvi, imo nullius, prope modum, momenti, sunt, siquidem, tam librorum *Machabeorum* assertum; quam, etiam, Doctorum *Talmudicorum* dissensiones, tanti, nequaquam, ponderis sunt, ut contrariae sententiae addictos, a suo, istae, gradu, depellant. Imo, ipsemet, etiam, quasi parum rei suae confidat, non sine titubatione, ex iisdem istis colligit, quod, admissa, etiam, PROPITIATORII, in *Templo secundo*, praesentia, illud, tamen ad aliquod, solummodo, tempus, ibidem, asservatum fuerit. Causae, itaque, nil quicquam habemus, cura saniori isto, cordatiorum *Philologorum*, placito, quod idem, nempe, PROPITIATORIVM, eademque ARCA, quae in *Templo primo* adfuerunt, in *Templo secundo*, nunquam, adfuerint, temere, & vel latum, quod dicitur, unguem, discedere velimus.

§. 5. Si, autem, ulterius, quis jam instet, atque nos urgeat, quibusnam, demum, fatis, pretiosissima haec, *Templi prioris*, ornamenta, subjecta fuerint, & quo pervenerint? Illis, cum BVXTORE. *Hist. Arcae foed. Cap. XXII. p. 186.* respondemus, quod discrepantes de hoc, jam olim, inter

G

Tal-

Talmudicos, fuerint sententiæ. PROPITIATORIUM, cum *Arca*, in *Babyloniâ* transportatum fuisse, quidam, absque solido, tamen, fundamento, evincere conati sunt. Absconditum illud esse, alii, ut supra ostendimus, magno molimine, asseverant. Contra omnem, autem, rationem, illud, in *Templo secundo*, extitisse, quidam contendere haud verentur. Præterquam, enim, quod, in *Sacris Scripturis*, ne $\chi\epsilon\upsilon$ quidem, quod, hoc super negotio, nos informet, reperiatur: Ex ipsis, *Ebraeorum*, Scriptoribus, celeberrimi, sociis, in hæresi hac verfantibus, aperte, obloquuntur. *Talm. Babyl.* quoque, in *JOMA Cap. I.* sub finem, sequentia, quæ causam nostram, non parum, juvant, inculcat: אלו חמשה דברים שהיו בין מקדש ראשון למקדש שני ואלו הן ארון והכפורת וכרובים אש ושכינת הרוח הקדוש והורים ותומים: i. e. *He sunt quinque res, quæ fuerunt in sanctuario primo, & non fuerunt in sanctuario secundo, nempe: Arca sacra, cum PROPITIATORIO, & Cherubim, Ignis, & Schebina, & Spiritus S. & Urim & Thummim.* In his verbis, expresse, ac diserte, negatur, illud PROPITIATORIUM, quod cum CHERUBIS, in templo primo fuit, in templo secundo fuisse.

§. 6. Neque, etiam, est, ut quisquam nobis objiciat, DANIELIS ista, quæ in *Cap. IX. v. 27.* expressa, & hujus tenoris, sunt: ועל כנף שקוצים משמש, si modo, religiose, & studiosius, ad eadem illa attendatur, & quid in recessu habeant, rite, manifestetur. Inter *Explanatores*, interim, *Bibliorum*, bonæ, alias, licet, notæ, non pauci, quod mirearis! reperti sunt, qui oraculum ita reddunt: Et *Apud alas* (stabunt) *Abominations desolationis.* Quæstio, itaque, cum, haud immerito, inter eruditos, exorta esset, ad quorum alas, indicem, quasi, digitum, *Sacer Scriptor*, hic, extendat; In promptu, plurimis, fuit responsio, quod, per alas has, non nisi CHERUBORUM istorum, qui in *Sancto San-*
Etorum

storum comparebant, alæ concipi, a nobis, debeant. Hoc autem, fundamento, semel, præstructo, pronum, omnino, esse, ut credamus, quod, in *Secundo*, quoque, *Templo*, PROPITIATORIUM, una cum CHERUBIS, præsens, huc dum, fuerit. At, enim, vero, versionem, atq; explicationem, hanc, non, omnino, firmo stare talo, isti, facile, patebit, qui verborum nexum, & constructionem, iuxta *Linguae sanctae* genium, sub examen revocare, haud gravabitur? Si, enim, paulo curatius, quidnam illa desolatio abominationis, proprie, involvat, investigare velimus, diversae, diversorum, coniecturae, sese nobis obiicient. Quidam, enim, imagines *Romanorum* gentiles, qualis imago TIBERII, *Cesaris*, fuit, a PILATO, *Hierosolymis* illata, cujus apud JOSEPHUM, *Lib. XIIII. Antiq. Jud. Cap. IV. & Lib. II. Belli Jud. Cap. VIII.* mentio injicitur; Alii *signa militaria*, vexillorum loco, in castris *Romanorum*, usitata, vel, ipsum, potius, *Exercitum Idololatricum*, ex *Collatione Luc. XXI. v. 20. cum Matth. XXIV. v. 15. & Marc. XIII. 14*; item, alii, ut ABLLENSIS, BARONIVS, *Zelotes, Profanatores Templi*, abominabiles, ut reliqua taceam, notionibus istis, indigitatos fuisse, hariolantur. Has, vero, atque alias, his simillimas, Eruditorum opiniones, quæ, fusius, neque recensendæ, neque, etiam, pro instituti ratione, prolixius, a nobis, refutandæ erant, uti, in medio, jam nunc, relinquimus; ita illud, solummodo, strictim, adnotamus, quod autentica, longe aliter, quam, ab *Exegetis*, supra, factum id fuerat, tum, ob ipsarum vocum structuram, tum, quoque, ob Accentuum rationem, atque positum, transponenda sint. *רֹב אַיִם*, enim, quod tam, *Avium*, columbarum, putat, ciconiæ, & ita porro, *alam*; quam, etiam, *oram*, atque *extremitatem*, v.g. *vestium*, item, etiam, *terre* significat, quando in *statu constructo*, ut hic locorum, positum est, male,

omnino, a שְׁקוּצִים, divellitur, atque, ita, transfertur; *Et ad alam* (stabunt seu erunt) *Abominations desolationis*; siquidem, ista ratione, טַא שְׁקוּצִים, & מַשְׁמֵם, in *Statu Constructo* ponerentur, quod ipsum, tamen, vel solis *Grammaticæ* principiis, in consilium adhibitis, a *Scriptore sacro* alienissimum, maxime, cum hic ipse, טַא כִּנְה & שְׁקוּצִים, arctissime, potius, combinet. Quare, cum, in vertendo, male, hoc ipsum negligatur, & ex *LEXICIS*, insuper, etiam, ut supra, jam tum, docuimus, constet, quod כִּנְה, *alam*, atque *oram*, promiscue, significet; posterior hic significatus, ut ego, quidem, arbitror, a *Scriptore S.* hic locorum, intenditur. Versio, itaque, oraculi, sequens esset: *ET AD, vel JUXTA, ORAM (sive EXTREMITATEM) ABOMINATIONUM* (in *Templo*, scilicet, *Sacro* perpetratarum, cum omnis cultus *Leviticus*, in *Templo*, post *MESSIÆ* mortem, continuatus, contra Dei ordinationem esset, atque, ita, non immerito, titulo hoc insigniri posset) est *DESOLATOR*. Accedit, quod, ad hanc interpretationem, ipsa *Accentuum* constitutio, non parum momenti conferat, utpote quæ, aperte, similiter, commonstrat, quod טֹ כִּנְה a שְׁקוּצִים, nequaquam, separandum sit. Sic, enim, eos distinguentes deprehendimus: וְעַל כִּנְה שְׁקוּצִים מַשְׁמֵם. Hic, si prima translatio locum haberet, כִּנְה, majorem, deberet habere, quam שְׁקוּצִים, *Accentum*, quod, autem, ei per *Servum*, ךְּ, jungitur; e contrario, שְׁקוּצִים, a מַשְׁמֵם, per *Distinctivum Minorem* ךְּ, distinguitur. Clarissimo, igitur, hæc, quoque, *Accentuum* ratio, indicio nobis esse poterit, quod verba, omnino, hunc in modum, transferenda sint: *Et ad Oram Abominationum, (erit) desolator*. Et, sane, si, vel maxime, טֹ כִּנְה per *alam*, (ut hypothese isti, quasi, כְּפֶרֶת *Templum*, quoque, *Secundum*, sua præsentia, condecorasset, quadan-

tenus

tenus, succutramus,) reddere velimus, plane, tamen, inconveniens esset, ut, per שְׁקוּצִיִּים sequens, CHERUBOS intelligeremus, unde tutissimum, omnino, est, ut priori interpretationi inhæreamus, & כַּפֶּרֶת, ita, e Templo secundo, summoveamus.

§. 7. Quare, ut, de *Termino Durationis*, כַּפֶּרֶת, aperte, demum, ac ingenue, mentem nostram aperiamus, cum illis, utique, non sentimus, qui PROPITIATORIUM, una cum *Arca*, *Babylonem*, quoque, transportatum, indeque, iterum, CYRI indultu, *Hierosolymas*, post LXX. Annorum decursum, traductum, & *Secundo templo* illatum fuisse, persuasum sibi habent; cum, sacratiora ista, quæ, ad hæc probanda, in medium produci, & urgeri, solent, oracula, expressam hujus rei, quæ, tamen, cor, & Palladium, quasi, totius *Israelis*, erat, mentionem, nullibi, injiciant. De PROPITIATORIO, itaque, idem nos sentimus, quod de *Arca*, olim, sensit SEBAST. MÜNSTERUS, scribens: *Certum est, Propitiatorium non fuisse translatum in Babyloniam, cum reliquis vasis Sacris, aureis, atque argenteis, alioquin restituta fuisset, cum iisdem, quod, tamen, non legimus: Nam ESRÆ, I. ubi sistuntur restituta vasa, quinque millia, non fit mentio Propitiatorii, atque Arce: Sed & JUDÆI, constanter, dicunt, in Primo Templo fuisse ista quinque; Arcam cum propitiatorio, Cherubim, ignem, cælitus missum, Spiritum S. Urim & Thummim, quæ non fuerunt in Templo Secundo, quia expectabatur, tunc, dominus Templi, & verus ille Propitiator, qui solus hominibus remittit peccata eorum. Utcunque, igitur, alii, hoc super negotio, statuunt, perit, ut probabilior habet ratio, Propitiatorium, quoque, quod Primum Templum, mirifice, illustrabat, sive, quod, a *Babylonis*, captum illud, direptum, ac, tandem, corruptum, & confractum; sive, quod,*

G 3

capta,

capta, a NEBUCADNEZARE, HIEROSOLYMA, & succenso *Templo*, 2. *Reg.* XXV. idem, quoque, istud, insimul, cum *Arca*, ob gravissima *Israëlitarum* peccata, quibus meruerunt, ut visibile hoc, habitationis divinæ, inter ipsos, symbolum, amplius, illis non adesset, combustum fuerit. Utur, enim, cæteroquin, speciose satis, urgeri hic poterat, quasi, *Sanctum* hocce *Sanctorum*, quod, a *Judeis*, summa cum veneratione, cultum, olim, atque, religiose, asservatum, fuerat, prædæ hostium *Israëlitæ* exponere noluerint, sed, potius, abscondere voluerint; Illud, tamen, vel eam ob rationem, morosius, urgeri vix poterat, quod omnia, tum temporis, jura, humana, æque ac divina, misere, conturbarentur, sincerusque DEO cultus, nullibi, amplius, propemodum, exhiberetur, & alias, quoque, infirmiora, admodum, ista sint argumenta, quæ, ad hanc hypothesin stabiliendam, a basiatoribus istius, communiter, proferruntur.

§. 8. Quemadmodum, autem, PROPITIATORIUM, cum *Arca*, neque in *Babyloniam*, transportatum, nec *Hierosolymas*, inde, iterum, traductum, neque, etiam, absconditum, olim, & iterum, repertum, ac *Judeis* restitutum, est; ita, idem istud, in posterum, quoque, cum, ut probabilis habet ratio, dudum, illud disperiit, nunquam restituetur. Vana, enim, hæc *Judeorum* animis insedit persuasio, posteaquam tantum genio suo indulserunt, ut existimarent, quasi, sub *Messie* adventum, quem, in perversum, plane, traditi sensum, adhucdum, frustra, una cum liberatione sua, expectant, *Tertium* quoddam *Templum* exstructum iri debeat, in quo ipso, omnis, *Templi Prioris*, gloria, denuo, comparitura sit. Trahenda huc sunt ABARBENELIS ista, quando docet: והארון המיוחד : הזה הוא העתיר להנלות בביאת משיחנו מחרה יגלה :
i. e.

i. e. *Et Arca ista singularis, eodem revelabitur tempore Messie nostri, qui, utinam! cito adventat. De Arca, autem, cum loquitur, Operculum, quoque, quod כפרת nominatur, & partem Arcae constituebat, insimul, includit. Nos somniantibus Judæis oblectamenta hæc relinquimus, & ad BUXTORFFIUM, l. sæpe c. illos, qui pleniorum, figmenti hujus, cognitionem desiderant, ablegamus.*

§. 9. *Alia, insuper, quæstio, demum, emergit; An, scilicet, nullum, prorsus, PROPITIATORIUM, in Templo secundo, fuerit? Posito, enim, quod Arca Mosaica cum Propitiatorio, perierit, ulterius, tamen, hucdum, quæri poterat, annon novum quoddam PROPITIATORIUM, cum Arca, atque Cherubis, reponi in isto potuerit; vel, minimum, aliud quoddam Symbolum, quod harum rerum vicem suppleret, ibidem repertum fuerit? Hæc, sane, res, vel eam, potissimum, ob causam, sub examinis incudem revocata est, quod Auctor Libri COSRI posterius; R. LEVI BEN GERSON, vero, prius, calculis suis, comprobaverint. Existimaverim ego, inquit ultimus, in Templo secundo fuisse PROPITIATORIUM, quia lex cavet circa aspersionem sanguinis, Juvenci, & birci, die Expiationum, ut fieret, על פני הכפרת, ad faciem propitiatorii, ולפני הכפרת, & coram Propitiatorio. Frigidam huic suffundit ADRICHOMIUS, in Descriptione Hierosolymæ. Num. 77. quando Arcam (nempe, Primi Templi) nunquam, quidem, reversam, post reditum, tamen, a captivitate, aliam, a Judæis, in locum prioris, substitutam fuisse, commemorat. At, enim, vero, quominus hisce cogitatis, nos, quoque, assurgere possumus, silentium Scripturæ, sacratioris, impedit utpote, quæ, omnino, si, modo, novum quoddam Propitiatorium, manu artificis factum, in Templo Secundo, comparuisset, rem istiusmodi, præ cunctis reliquis, plurimum eminentem,*

tem,

56 DE OPERCULO PROPITIATORIO.

tem, atque gloriosam, intactam, plane, non reliquisset. Ad-
dimus his, quod Gens *Ebræa*, hujusque, imprimis, *Doctores*,
celebriores, qui, in deprædicanda, *Templi secundi*, excellen-
tia, alias, quoque, nimium quantum, desudant, monu-
mentum istiusmodi, longe augustissimum, certatim, atque
fufius, circumfcribere non omiffent. Plura, hujus argu-
menti caufa, non monemus; fed illi, potius, cui, de *Secun-
di Templi PROPITIATORIO*, ex profeffo, quædam com-
mentari animus erit, non rationum fpicilegium; fed mes-
sem, quafi, quandam ampliffimam, dogma illud confu-
tandi, relinquimus. Omnino, enim, demonftraffe, qua-
dantenus, fufficere nobis poterat, quod *MOSAICVM*
PROPITIATORIUM, *Templo priori* deſtructo, plane, e-
vanuerit, typumque, ſolummodo, iſtius, quod *Templum*
Secundum glorificabat, & exoptatiſſimum, *Novi Teſtamen-
ti*, *PROPITIATORIUM* erat, exhibuerit. Durat hoc, ho-
dienum, &, in æterna ſecula durabit, nullusque,
adeo, unquam, iſtius erit

F I N I S.



Coll. diss. A. 134, misc. 34